totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium univerſo Judæ; ut 2. *Paral.* cap. 20. legimus. Holoferne expeditionem adverſus Judæos parante, *Clamavit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, & orationibus, ipſi, & mulieres eorum.* Aitque *Eliachim* Sacerdos Magnus: *Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis, & orationibus in conſpectu Domini*; ut refertur *Judith* 4. Eſther Aſſuerum aditura, ut precibus ſuis internecionem Judæis ab Aman hoſte gentis infenſiſſimo paratam averteret, orationem, & jejunium Judæis omnibus in Suſan commorantibus indici juſſit, ipſaque cum ancillis ſuis ſimiliter jejunare decrevit. (*Eſther* 4.)

Jejunium ob aliquem hujuſmodi finem ſuſceptum, Deo gratum eſſe nemo dubitaverit, qui ad Chriſti verba. Matth. 6. attenderit: *Tu autem*, inquit, *cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Utilitas jejunii.

III. Jam vero quæ ſint jejuniorum utilitates, Patres exponunt in Libris, & Sermonibus eo de argumento conſcriptis. *Tertull.* Libro *De Jejuniis* oſtendit, Moyſen quadragenario jejunio præparatum ad Dei viſionem, *Merito* (inquit) *etiam in carne ſe ei Dominus oſtendit collega jejuniorum ſuorum.* Eliam quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore, perveniſſe in Montem Dei Horeb; ibique familiari Dei congreſſu exceptum, *Quid tu Elia; hic? Multo amicior iſta vox, quam,* Adam ubi es? *Illa enim paſto homini minabatur, iſta jejuno blandiebatur. Tanta eſt circumſcripti victus prærogativa, ut Deum præſtet homini contubernalem parem revera pari. Si enim Deus æternus non eſuriet, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquatur, cum ſine pabulo vi-*

3. Reg. 17. *vit*, Jejunium *iratum Deum homini reconciliat.* Iſraelitæ in Maſpha Deum deprecati, ſeque Jejuniis humiliantes, Philiſthæos viderunt. *Ceciderunt paſtos impaſti, armatos inermes. Hæc erunt vires jejunantium Deo. Cœlum pro ejuſmodi militat. Habes formam præſidii etiam ſpiritualibus bellis*

1. Reg. 23. *neceſſariam.* Ninive peccatrix illa civitas per jejunium de

1. Reg. 1. exitio prædicato liberata eſt. *Sodoma quoque, & Gomorrha evaſiſſent, ſi jejunaſſent.* Achab ultionem Dei jejunio avertit. *Jejunium reverentiæ in Deum opus eſt, per quod Anna uxor Helcanæ retro ſterilis impetravit facile a Deo inanem cibo ventrem filio implere, & quidem Propheta.* Myſteriorum agnitionem jejunia a Deo mereri Danielis probat exemplum, & Annæ Prophetiſſæ, quæ & infantem Dominum agnovit, & multa de eo prædicavit exſpectantibus redemptionem Iſraelis. Ex quo conſtat, *A nullis magis intelligi Chriſtum, quam ſemel nuptis, & ſæpe jejunis.* Ipſe mox Dominus *Baptiſma ſuum & in ſuo omnium jejunia dedicavit, immo novum hominem in veteris ſugillationem virtute faſtidiendi cibi initiabat, ut eum Diabolo rurſus per eſcam tentare quærenti, fortiorem fame tota oſtentaret.* Docuit etiam *Adverſus diriora dæmonia jejuniis præliandum.*

S. Ambroſius Lib *De Elia, & Jejunio*, Jejunii excellentiam, & utilitatem magnifice prædicat. Hæc inter alias c. 1. & 2. habet. *Certamen noſtrum jejunium eſt, jejunavit Salvator, & ſic Tentator ad eum acceſſit. Et primum gulæ di-*

Matt. 4. 3. *rexit ſpiculum dicens:* Si Filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. *Ille cibum velut eſcam laquei prætendit; Dominus jejunium prætulit, ut laqueo Tentatoris, ut vincula diſſolveret... Magna virtus eſt jejunii. Tam ſpecioſa ejus militia eſt, ut jejunare delectaret & Chriſtum: tam valida, ut ad cœlum homines erigeret... Elias jejunus filium viduæ ab inferis reſuſcitavit: jejunus pluvias ore depoſuit: jejunus ignem de cœlo eduxit; & quadraginta dierum jejunio divinam acquiſivit præſentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit: Divino ore ſtatuit fluenta Jordanis, & redundantem fluminis alveum repente ſiccatum pulverulento tranſmiſit veſtigio. Merito illum dignum cœlo divina judicavit Sententia, ut cum ipſo raperetur corpore: quoniam cœleſtem vitam vivebat in corpore, ac ſupernæ uſum converſationis exhibebat in terris. Quid eſt enim jejunium, niſi ſubſtantia, & imago cœleſtis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis, vita Angelorum; culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis. Hoc ad Deum gradu citius pervenitur: hoc gradu Elias aſcendit, antequam curru. Hanc hæreditatem ſobrietatis, & abſtinentiæ ad cœlum abiens Diſcipulo dereliquit. In hac virtute, &* Spiritu *Eliæ venit Joannes. Et quia vita humana poſſibilitatem continentia ſu-*

De Jejuniis. *pergreſſus fuerat, non homo, ſed Angelus æſtimatus eſt.*

S. Aug. Serm. *De Utilitate Jejunii*, c. 1. Jejunium virtutem eſſe hominum docet, non Angelorum: hominum inquam ſurſum cor habentium, & ad Angelorum ſocietatem ſuſpi-

Sap. 9. rantium. Nam *Caro in terram vergit, mens ſurſum tendit: rapitur amore, ſed tardatur pondere. De hac re ſcriptura ita loquitur:* Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. *Si ergo caro in terram vergens onus eſt animæ, & ſarcina prægravans volantem: quantum quiſque delectatur ſuperiore vita ſua, tantum deponit de terrena ſarcina ſua. Ecce quod agimus jejunantes.* Non videatur ergo levis res, aut ſuperflua, ne quiſquam forte hoc faciens *Eccleſiæ conſuetudine* cogitet apud ſe, aut ſuggerentem intrinſecus audiat Tentatorem: Quid tibi ipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor, & cruciator exiſtis? Deo ergo places, quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis. Reſponde hujuſmodi Tentatori: *Ex crucio me plane, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille ſubveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem ſuavitatem ejus. Nam & victima excruciatur, ut in Aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea: Si jumento forte inſideres, qui te geſtiendo poſſes præcipitare, nonne, ut ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea jumentum meum eſt, iter ago in Jeruſalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Chriſtus eſt, ita exultantem non cohibebo jejunio?*

S. Leo Serm. 4. De Jejunio decimi menſis, jejunium ad tentationes vincendas utiliſſimum eſſe docet. *Qui jam regenerati filii lucis effecti ſunt, quamdiu tamen in hoc mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, detinentur: quandiu infirmitati carnis corruptibilia, & temporalia blandiuntur, non poſſunt iſtos dies ſine tentatione tranſire. Non facile cuiquam provenit tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes, frequenteſque conflictus, etiamſi ſit liber a morte, ſit quoque immunis a vulnere. Curandis igitur læſionibus, in quas ſæpe incidunt, qui cum inviſibili hoſte confligunt, trium maxime remediorum eſt adhibenda medicina. In orationis inſtantia; in caſtigatione jejunii, in eleemoſynæ largitate: quæ cum pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem præſidiis ſemper fidelis anima debet accingi, ſed tunc ſtudioſius præparari, cum ii adſunt dies, qui proprie ſunt ad hæc pietatis officia præſtituti.*

Et paullo poſt: *Jejuniorum*, inquit, *utilitatem Novi Teſtamenti gratia non removit: & continentiam corpori, atque animæ ſemper profuturam pia obſervatione ſuſcepit. Quoniam ſicut permanet apud intelligentiam Chriſtianam:* Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: *Et,* Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, *& cetera talium Mandatorum:* Matth. 4.
ita quod in eiſdem libris de jejuniorum ſanctificatione, & curatione præceptum eſt, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tempore, omnibuſque diebus vitæ hujus ſæculi jejunia nos faciunt contra peccata fortiores, jejunia concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.

§. II. *Eccleſia Auctoritatem habet inſtituendi, & præcipiendi Abſtinentiam, & Jejunium certis diebus, & temporibus.* De Jejuniis.

Quadrageſimale jejunium.

I. *IN Evangelicis, & Apoſtolicis litteris, totoque inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum non invenio definitum*; (inquit. *Sanctus Auguſtinus*, Epiſtola 36. alias 86. *ad Caſulanum* Presbyterum data.) Verum etſi nullum hujuſmodi præceptum in Novo Teſtamento ſcriptum extet, Jejunium tamen Quadrageſimale ex Apoſtolorum traditione ſervavit ſemper, & a Fidelibus obſervari juſſit Eccleſia: illud exemplo ſuo Chriſtus conſecravit. Diſcipulos ſuos poſt mortem Reſurrectionemque ſuam jejunaturos prædixit, Matth. 9. *Nunquid poſſunt filii Sponſi lugere, quandiu cum illis eſt Sponſus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis Sponſus, & tunc jejunabunt.* Quin id religioſe præſtiterint, & Chriſtianis commendaverint, minime dubitandum. Quadrageſimalis Jejunii diſciplinam ab Apoſtolis inſtitutam, & traditam *S. Hieronym.* Epiſt. 54. ad *Marcellam* docet. *Nos*, inquit, *unam Quadrageſimam ſecundum Traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus: Illi* (Montaniſtæ nempe Hæretici) *tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores. Non quod per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Certe *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*, (inquit *S. Auguſtinus*, Lib. 4. *De Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 24.) Et Epiſt. 54. alias 118. ad *Januarium* idem repetit. Quadrageſimale porro Jejunium univerſa tenet, ſemperque retinuit Eccleſia, nec in aliquo inſtitutum Concilio eſt, nec illius initium poteſt oſtendi: ab Apoſtolis igitur traditum merito aſſeritur.

II. Quadrageſimalis Jejunii meminerunt quarti, & quinti ſæculi Patres, velut obſervantiæ generalis, cujus Lege Chriſtiani omnes tenentur, nec ſua primum ætate, ſed retroactis ſæculis inſtitutum fuiſſe, ac univerſim in Eccleſia obſervatum ſupponunt. Conc. Nicænum can. 5. Quadrageſimæ, tanquam rei in omnibus Chriſtiani orbis Provinciis cognitæ, atque obſervatæ meminit, cum in ejus initium unam ex iis Synodis indicit, quas quotannis duas in unaquaque Provincia celebrari jubet. Synodus Laodicena Quadrageſimam ſupponit non recentis eſſe inſtitutionis, ſed antiquæ traditionis, cum decernit can. 50. *Quod non oportet in Quadrageſima, in ultima ſeptimana Quinta Feria jejunium ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conveniat omnem Quadrageſimam diſtricto venerari jejunio.*

Quadrageſimalis Jejunii pariter meminerunt *S. Athanaſius* in

in Epiſtola ad Orthodoxos, & alibi, *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi prima. *S. Baſilius* Hom. 2. *De Jejunio*, quæ in Quadrageſima habita eſt, ubi *Per univerſum terrarum orbem Jejunii edictum denuntiari*, ait *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 40. *S. Epiphanius* in Expoſitione Fidei Catholicæ, *S. Greg. Nyſſenus* Homilia in principium Jejuniorum, *S. Jo. Chryſoſt.* Hom. 16. ad Populum Antiochenum; item Hom. 22. & Hom. 1. in Geneſim; *S. Gregorius* Lib. *De Elia, & Jejunio*, c. 10. *S. Aug.* Epiſt. 55. alias 119. ad *Januarium* ſcribens: *Quadrageſima habet Jejuniorum auctoritatem, & in Veteribus Libris ex Jejunio Moyſi, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonſtrans Evangelium non diſſentire a Lege, & Prophetis.* Idem confirmant Sermones illius, *De Quadrageſima*. Et Lib. *De Hæreſibus* inter Arianorum Hæreticorum errores hunc recenſet, quid pertinaciter aſſererent, *Nec ſtatuta ſollemniter celebranda eſſe jejunia, ſed cum quiſque voluerit, jejunandum, ne videatur eſſe ſub lege.*

Idem confirmat *S. Leo* in Sermonibus de Quadrageſima,

Serm. 9. cujus *jejunia ab Apoſtolis per doctrinam Spiritus Sancti ordinata* docet: *Ut per commune conſortium crucis Chriſti etiam nos aliquid in eo quod propter nos geſſit, ageremus.* Item *S. Petrus Chryſologus* Sermone 67. *Caſſianus* Collatione 21. c. 24. Auctor Sermonum, *De Quadrageſima*, hactenus *S. Ambroſio* adſcriptorum, & tunc in Appendicem Operum ipſius rejectorum, & ſequentium ſæculorum Patres.

Jejunia Quatuor Temporum

III. Præter Quadrageſimale Jejunium, ſollemnia ſunt ex Eccleſiæ Præcepto *Quatuor Temporum Jejunia*, quæ ab univerſa Eccleſia religioſe obſervata fuiſſe ſæculo quinto, *S. Leonis* Sermones *De Jejunio Pentecoſtes*, necnon *De Jejunio ſeptimi, & decimi Menſis*, fidem faciant. Sermone 8. De Jejunio decimi Menſis, Quatuor Temporum Jejunia ex doctrina Spiritus Sancti inſtituta eſſe, docet: *Hujus obſervantiæ utilitas*, inquit, *in Eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta Jejuniis, quæ ex doctrina Sancti Spiritus ita per totum anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium Vernum in Quadrageſima. Æſtivum in Pentecoſte, Autumnale in Menſe ſeptimo, Hyemale in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Adde, quod quatuor anni Temporibus ex Eccleſiæ conſuetudine Ordines Sacri conferuntur, ad quorum ſuſceptionem oportet per jejunium præparari, & eos, qui ordinant, & eos qui ordinantur, & totum populum, pro cujus utilitate ordinantur. Unde etiam legimus Lucæ 6. quod Dominus ante Diſcipulorum electionem exivit in Montem orare. Hæc jejunia etiam inſtituta ſunt, ut nullum ſit anni tempus a jejuniis vacuum: tum etiam ne inferior eſſet Chriſtianorum abſtinentia, & juſtitia, quam Judæorum: ut denique Eccleſia partim Deo ſupplicet pro terræ frugibus, partim gratias agat pro fructibus perceptis, ut intelligi poteſt ex Sermonibus *S. Leonis*, mox indicatis.

Vigiliarum Jejunia.

IV. Quædam etiam præcipuarum Sollemnitatum Vigiliæ, ſcilicet Natalis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, Nativitatis S. Joann. Baptiſtæ, Omnium Sanctorum, Apoſtolorum, & Martyrum quorundam, jejunio conſecratæ ſunt ex Eccleſiæ præcepto, ut conſtat ex cap. *Concilium*; & cap. *Ex parte*, Extra, *De Obſervatione Jejuniorum*. In his autem Eccleſiæ quiſque ſuæ diſciplinam, & morem ſequi tenetur. Indicta ſunt autem illa vigiliarum jejunia, ut a vitiis expiati, & carne mortificati, ad Feſta religioſe, ac devote celebranda præparemur.

Religioſa abſtinentia ſextæ Feriæ & Sabbati.

V. Sextis Feriis, & Sabbatis Abſtinentia a carnibus univerſalis Eccleſiæ more, ac præcepto ſancita eſt, qui dies olim jejunio etiam nonnullis in Eccleſiis dicati erant. Dies etiam Rogationum, & Feſtum S. Marci in quibuſdam Eccleſiis abſtinentiam habent a carnibus ex præcepto obſervandam. *Qua in re Diſciplina nulla eſt melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit*; (inquit *S. Aug.* Epiſt. 54. alias 118. ad *Januarium*.) Hinc *S. Ambroſius* eidem *Auguſtino* de Jejunio Sabbati interroganti reſpondit: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato: cum hic ſum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Hoc cum Matri *Monicæ* renuntiaſſet, libenter amplexa eſt. Ipſe vero *Auguſtinus* hanc ſententiam ſemper habuit, tanquam eam *cæleſti oraculo* accepiſſet, ut ipſe ibidem refert.

Eccleſiæ auctoritas in ſtatuendis jejunii legibus.

VI. Eccleſiam auctoritatem habere ferendi Leges de abſtinentia, & jejuniis, quibus parere Chriſtianus quilibet teneatur, nemo niſi hæreticus negaverit: ſiquidem auctoritas ferendarum Legum pro Chriſtiani Populi regimine, in ordine ad ſalutem æternam, Eccleſiæ a Chriſto ſponſo tradita eſt, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Et Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et Act. 5. de S. Paulo dicitur: *Perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.* Sic Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano Legem de abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato tulerunt, aſſlante Spiritu Sancto: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Conſtat etiam ex moribus Eccleſiæ primitivæ, Epiſcopos jejunia indicere ſolitos pro emergentibus rei Chriſtianæ periculis, & publicis cauſſis, *Tertulliano* teſte Lib. *De Jejuniis*, cap. 13. *Bene autem*, inquit, *quod & Epiſcopi univerſæ plebi mandare jejunia aſſolent, non dico de induſtria ſtipium conferendarum, ut veſtræ captura eſt, ſed interdum, & ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſſa.* Quod ſi Eccleſia pro emergentibus rei Chriſtianæ negotiis, ac neceſſitatibus poteſtatem habet abſtinentiam, ac jejunia ſtatis diebus indicendi: proculdubio habet etiam auctoritatem ſtata in perpetuum jejunia præcipiendi publica Lege, ſi cauſſæ perpetuæ ſint, & certis vicibus recurrentes. Cauſſæ autem jejuniorum, quæ in Eccleſia ſtatis temporibus, & diebus obſervantur, perpetuæ ſunt. Jejunia enim, & certorum dierum abſtinentiæ inſtituta ſunt ad expiationem peccatorum, ad concupiſcentiam carnis edomandam, ad Deum per Pœnitentiæ opera promerendum: abſtinentia Sextæ Feriæ, & Sabbati in honorem Dominicæ Paſſionis, & Sepulturæ: Quadrageſimale jejunium,

Jejunii Quadrageſimalis rationes.

ut totum Eccleſiæ corpus ſimul Pœnitentiam agat, maculaſque totius anni decurſu contractas eluat; ut omnes, ac ſinguli Chriſtiani carnis mortificatione, & caſtigatione Chriſto quadantenus commoriantur: ut ad Paſchalem Sollemnitatem, & ad Euchariſtiam ea die percipiendam ſe præparent: ut totius anni quaſi decimas Deo per jejunium conſecremus: ut denique Chriſti Salvatoris noſtri jejunium pro modulo noſtro imitemur, ac honoremus.

§. III. *Quadrageſimalis Jejunii cauſſæ explicantur.*

HAS, Quadrageſimalis Jejunii cauſſas Patres afferunt, & exponunt. Unum, & alterum duntaxat *SS. Auguſtini*, & *Leonis* locum hic exſcribere ſatis erit.

De abſtinentia, & jejuniis.

S. Auguſtinus Sermone ducenteſimo quinto, alias *De Diverſis* ſexageſimo octavo, Quadrageſimam inſtitutam eſſe docet, ut eo tempore crucem caſtigandi corporis per jejunium aſſumamus. *Congruit*, inquit, *noſtræ devotioni, ut qui Domini crucifixi Paſſionem jam propinquantem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſi etiam faciamus, ſicut dicit Apoſtolus;* Qui autem Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum paſſionibus, & concupiſcentiis. Galat. 5.
In hac quidem cruce per totam iſtam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Chriſtianus. Non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Pſalmo dicitur, Confige clavis a timore tuo carnes meas. *Carnes ſunt carnales concupiſcentiæ, clavi ſunt præcepta juſtitiæ:* Pſ. 118.
his illas timor Domini configit, qui nos illi acceptabilem hoſtiam crucifigit. Crux ergo iſta, in qua Dei ſervus non ſolum non confunditur, ſed etiam gloriatur, non quadraginta dierum eſt, ſed totius hujus vitæ, quæ myſtico numero quadraginta iſtorum ſignificatur dierum... Unde Moyſes, & Elias, & ipſe Dominus quadraginta diebus jejunaverunt: ut inſinuaretur nobis, & in Moyſe, & in Elia, & in ipſo Chriſto, hoc eſt, in Lege, & Prophetis, & in ipſo Evangelio, id nobiſcum agi, ne conformemur, & hæreamus huic ſæculo, ſed crucifigamus hominem veterem... Sic ſemper hic vive, Chriſtiane; ſi terreno limo greſſus non vis immergere, noli de iſta cruce deſcendere. Si autem hoc faciendum eſt per hanc totam vitam, quanto magis per iſtos Quadrageſimæ dies, quibus non ſolum agitur, verum etiam ſignificatur hæc vita.

S. Leo Ser. 42. in Quadrageſima quinto. *Quia* (inquit) *paucorum eſt tam ſolida fortitudo ut nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos Fidelium non adverſa tantum, ſed etiam ſecunda corrumpant: ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligens eſt adhibenda curatio... Quando autem opportunius ad remedia divina decurrimus, quam cum ipſa nobis Sacramenta redemptionis noſtræ temporum lege referuntur? Quæ ut dignius celebremus, ſaluberrime nos quadraginta dierum jejunio præparemus. Non enim ii tantum, qui per mortis Chriſti, Reſurrectioniſque Myſterium in novam vitam Baptiſmo ſunt regenerandi, ſed etiam omnes Populi Renatorum utiliter ſibi, & neceſſarie præſidium hujus ſanctificationis aſſumunt: Illi, ut quæ nondum habent, accipiant; iſti ut accepta cuſtodiant. Dicente namque Apoſtolo:* Qui ſtat videat, ne cadat: *nemo eſt tanta firmitate ſuffultus,* 1. Cor. 10.
ut de ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus. Utamur igitur ſaluberrimi temporis venerabilibus inſtitutis, & ſollicitiore cura cordis noſtri ſpecula tergamus. Quantumlibet enim caſte, & ſobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ converſationis aſpergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus eſt, ut nulla poſſit ſorde fuſcari, & non ſemper indigeat expoliri. Quod ſi etiam cautiſſimis animis neceſſarium eſt, quanto illis amplius eſt expetendum, qui tota forte anni ſpatia, aut ſecurius, aut negligentius tranſierunt?

Idem Serm. 46. De Quadrageſima nono: *Devotionem noſtram* (inquit) *præſentes vel maxime dies exigunt, quos illi ſublimiſſimo divinæ miſericordiæ Sacramento ſcimus eſſe contiguos. In quibus merito a Sanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus Sancti majora ſunt ordinata jejunia, ut per commune conſortium crucis Chriſti etiam nos aliquid in eo, quod propter nos geſſit, ageremus, ſicut Apoſtolus ait:* Si compatimur, & conglorificabimur. *Certa, atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis.* Rom. 8. 17.

Serm. denique 47. ſive decimo de Quadrageſima: *Conſidera-*

De abſtinentia, & jejuniis.

rantes quicquid per Crucem Domini adepta eſt univerſitas Mundi, cognoſcimus ad celebrandum Paſcha Diem, merito nos quadraginta dierum Jejunio præparari, ut digni poſſimus divinis intereſſe Myſteriis. Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi ordinis Sacerdotes, nec ſolos Sacramentorum Miniſtros, ſed omne corpus Eccleſiæ, univerſumque fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatum, ut templum Dei, cui fundamentum eſt ipſe Fundator, in omnibus lapidibus ſpecioſum & in tota ſui parte ſit lucidum.

§. IV. *Abſtinentia a carnibus Eccleſiaſtici Jejunii pars eſt. In abſtinentia a lacticiniis quiſque ſequi debet Eccleſiæ conſuetudinem, in qua vivit.*

PRimam Propoſitionem, ſcilicet, Abſtinentiam a carnibus Eccleſiaſtici Jejunii partem eſſe, & apud veteres Chriſtianos jejuniorum diebus publica lege præceptam fuiſſe, Patrum, & Conciliorum antiquorum teſtimoniis probata veritas eſt, ſcilicet *S. Baſilii* Hom. 1. De Jejunio; *Theophili Alexandrini*, Epiſt. 3. Paſchali ad univerſos Ægypti Epiſcopos; *Cyrilli Jeroſolymitani*, Catecheſi 4. Illuminatorum; *S. Jo. Chryſoſtomi* Hom. 1. & 2. in Geneſim, Hom. 6. ad Populum Antiochenum, & Hom. 8. de Pœnitentia; *S. Hieronymi* in cap. 10. Danielis, ad illa verba. *Pânem deſiderabilem non comedi*, & in Epitaphio Marcellæ; *S. Aug.* Lib. 30. *contra Fauſtum Manichæum*, cap. 5. *S. Leonis* Serm. 4. de Jejunio Quadrageſimæ; *S. Maximi* Hom. 3. de eodem Jejunio; Concilii Toletani 8. can. 9. Trullani, Canone quinquageſimo ſexto, &c.

Lege S. Hier. L. 2. contra Jovinianum, cap. 2. & S. Aug. lib. 30. contra Fauſtum c. 14.

Abſtinentiam porro a carnibus certis diebus præcipit Eccleſia, non quod natura ſua malæ ſint, ſicut Hæretici quidam veteres exiſtimarunt, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi: Nam *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*; (inquit Apoſtolus 1. *ad Tim.* 4.) Sed quia ad carnem domandam, & ad Deum colendum, hæc abſtinentia conducibilis eſt; unde idem Apoſtolus ad Romanos ſcribit: *Bonum eſt non comedere carnem, & non bibere vinum, in quo frater tuus ſcandalizatur*. Sed nec S. Apoſtolus abſtinentiam a carnibus damnat, cum ait 1. ad Cor. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Sed de ciborum Idolis immolatorum eſu agit, & fideles anxios eſſe vetat, ne forte cibi, qui in foro venales proſtant, vel menſis infidelium apponuntur, idolis immolati fuerint; cum eorum eſu, ubi ſcandalum abeſt, conſcientia non maculetur, ſi nulla idoli religione manducentur, quia Idolum nihil eſt, nulluſque cibus natura ſua eſt immundus.

Vide S. Hier. Ep. 154. ad Agaſiam q. 10. & Th. in Comment. hujus loci.

Nec etiam ad abſtinentiam Chriſtianam a certis ciborum generibus ab Eccleſia jejunii diebus, ſextaque feria, & Sabbato præceptam ſpectant hæc verba ejuſdem Apoſtoli ad Coloſſ. c. 2. ſcribentis: *Nemo vos judicet in cibo, aut potu*; ſed ad legales cæremonias, quibus per Chriſti mortem antiquatis, non amplius obligantur Chriſtiani: quod verba ſequentia confirmant, *Aut in parte diei Feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti*, ideſt, legales illæ obſervantiæ rerum futurarum figuræ erant, ac Prophetiæ, quarum veritas in Chriſto adimpleta eſt. Cum itaque corpus, ideſt, Chriſtum jam teneamus, ſtultus eſt, ut umbras amplectamur. Non judicantur ergo Chriſtiani in cibo, & potu, quaſi alii cibi mundi ſint, alii immundi, ex vi Legis Moſaicæ, cujus cæremonialia præcepta abrogata ſunt, ſed ratione inobedientiæ judicantur, qui Eccleſiæ morem non gerunt, abſtinentiam certis diebus imperanti; ſicut & ratione intemperantiæ in cibo, & potu judicantur, qui cibum, & potum immoderate ſumunt. Sic *Quod intrat in os, non coinquinat hominem*, ex natura ſua; ſed coinquinat ex inobedientia, & intemperantia eorum, qui utuntur.

De abſtinentia, & jejunio.

Matth. 15.

Doctrinas denique, *& mandata hominum* nemo dixerit Leges Eccleſiæ de abſtinentia, & jejuniis: hoc enim nomine Chriſtus ſuperſtitioſas Phariſæorum obſervantias & traditiones ſugillavit, qualis erat, *Non lotis manibus manducare*, non vero Traditiones, & Mandata Eccleſiæ, & Apoſtolorum, ac Epiſcoporum, qui ipſis ſucceſſerunt, quibus morem geri præcepit. Sicut ergo inter Mandata, & doctrinas hominum lex ab Apoſtolis lata de abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato, pro tempore, cenſeri abſque errore non poteſt, de qua Legiſlatores ipſi dixerunt, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: ita nec leges Eccleſiæ de abſtinentia, & jejuniis, inter doctrinas, & mandata hominum numerari poſſunt, ſiquidem eadem auctoritate, eodemque Spiritu Sancto dirigente has leges condit, & hæc præcepta fidelibus imponit, quibus Apoſtoli legem illam temporariam tulerunt. De Abſtinentia Chriſtiana, & Jejuniis plura dabit noſtra Differt. 4. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 2. qua Librum *Joannis Dallæi* Calviniani Miniſtri *De Jejuniis, & Quadrageſima* refellemus.

Ibidem, & ad Coloſſ. cap. 2.

Act. 15. 28.

Abſtinentia a lacticiniis.

Propoſitio altera: Unumquemque ſcilicet in abſtinentia a lacticiniis Eccleſiæ uſum ſequi debere, colligitur ex *S. Th.* 2. 2. q. 147. art. ult. in Reſponſione ad tertiam objectionem. *Ova* (inquit) *& lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum ſunt ex animalibus exorta carnes habentibus: unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, vel lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia ſollemnius eſt Quadrageſimale Jejunium: tum quia obſervatur ad imitationem Chriſti: tum quia per ipſum diſponimur ad Redemptionis noſtræ Myſteria devote celebranda. Et ideo in quolibet jejunio interdicitur eſus carnium: In Jejunio autem Quadrageſimali interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia: circa quorum abſtinentiam in aliis jejuniis diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos, quas quiſque obſervare debet ſecundum morem eorum, inter quos converſantur.* Unde *S. Hier.* Epiſt. 28. de Jejuniis loquens ait: *Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta Majorum Leges Apoſtolicas arbitretur.* Hinc etſi abſtinere a carnibus tantum, ſed a vino tempore Jejunii, præſertim Quadrageſimalis, olim Chriſtianorum mos eſſet, Eccleſiæque primævæ diſciplina; in abſtinentia tamen illa poſtmodum Eccleſiæ indulgentia remiſſa eſt. Similiter, licet abſtinentia ab omnibus, quæ ſementinam carnis originem trahunt, nempe ab ovis, lacte, butyro, caſeo, generali lege Quadrageſimali Jejunio ſit annexa; in aliquibus tamen locis propter neceſſitatem, lactis, butyri, caſeique uſus conceſſus eſt. Qua in abſtinentia varias jam fuiſſe Eccleſiarum conſuetudines ſuis temporibus, *Theodulfus* Aurelianenſis Epiſcopus, in ſuo Capitulari c. 40. & *Æneas* Epiſcopus Pariſienſis Libro contra Græcos, in Reſponſione ad tertiam objectionem, teſtantur. Unuſquiſque ergo Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem tuta conſcientia in his ſequi poteſt.

De abſtinentia, & jejuniis.

Ex his colligitur, hanc Propoſitionem inter alias decem die 24. Septembris anni 1675. ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo fuiſſe merito damnatam. *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

Propoſitio damnata.

ARTICULUS VI.

REGULÆ MORALIS CHRISTIANÆ

Circa Religioſam Dominicæ Diei, & Feſtorum obſervationem.

REGULA PRIMA.

Lethalis peccati rei ſunt, qui ſervilia opera, aliaque Canonibus, & Legibus prohibita, Dominicis, Feſtiſque Diebus exercent, exceptis cauſſis pietatis, ac juſtæ neceſſitatis, quarum judicium penes Epiſcopos eſt.

SErvilibus enim operibus cultus Dominicæ, Feſtorumque Dierum violatur, ad quos tertium præceptum Decalogi, quatenus morale eſt, pertinet; *Sabbatum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas.* Quibus verbis omne ſervilis operis genus prohiberi perſpicuum eſt, non quod natura ſua, aut turpe, aut malum ſit: ſed quoniam mentem noſtram a divino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit. Unde *S. Greg.* Lib. 11. Epiſt. 3. ſcribit: *Dominico Die a labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum, ut ſi quid negligentia per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Servilia autem opera ſunt, quæ a ſervis, & infima plebe, ſeu mercenariis hominibus exercentur, qualia ſunt artium omnium mechanicarum opera patrata, præſertimque ruralia, & in quibus jumenta labori applicantur. Prohibita ſunt etiam ſacris Canonibus, & Principum Chriſtianorum Legibus mercatus, & nundinæ, Judiciarii Proceſſus, & ſtrepitus forenſes. Capitalia præſertim, & ad pœnam ordinata Judicia, item Juramenta publica, Acta pariter publica Notariorum, (exceptis tamen conventionum connubialium, & ultimarum voluntatum inſtrumentis) *Ruralia*, & alia opera famularia prohibet Capitulare Aquiſgranenſe *Caroli Magni*, necnon *Placita*, ſive ſtrepitus forenſes, cauſſarumque publicas actiones. Prohibet etiam *Venationes*, quibus Feſtos Dies violari hinc collige, quamvis ob ſolam animi recreationem, non lucri cauſſa fiant. Opus rurale die Dominico prohibet etiam Concilium Aurelianenſe 3. anno 538. celebratum, can. 28. *Quo facilius* (inquit) *ad Eccleſiam venientes, orationis gratiæ vacent.* Concilium Matiſconenſe 2. anno 585. can. 1. Dominicis diebus prohibet opera, quæ in privatis diebus fiunt, ideſt, opera ſervilia, cauſſarumque actiones. *Cuſtodite* (inquit) *Diem Dominicam, quæ nos denuo peperit, & a peccatis omnibus liberavit. Nullus veſtrum litium fomitibus vacet: nullus cauſſarum actiones exerceat: nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus jumentorum imponere cogat... Exhibeamus Domino liberam ſervitutem, cujus nos novimus pietate de ergaſtulis liberatos erroris. Non quia hoc Dominus noſter a nobis expetit, ut corporali abſtinentia Diem Dominicam celebremus; ſed quærit obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus ad cælum uſque miſericorditer provehat. Si quis itaque veſtrum hanc ſalubrem exhortationem parvipenderit, ſciat ſe pro qualitatis merito principaliter a Deo puniri, & deinceps Sacerdotali quoque iræ implacabiliter ſubjacere.*

Venationes diebus Dominicis, & Feſtis prohibitæ.

Conc. Cabilonenſe anno 750. can. 18. *Ruralia opera, & quicquid ad ruris culturam pertinet*, Dominicis diebus fieri vetat ſecundum ſuperiorum Conciliorum Canones: *Sicut in ſuperioribus Canonibus eſt ſtatutum; non aliquid novi condendentes, ſed vetera renovantes... Qui inventus fuerit faciens, ſub diſciplina diſtrictionis omnimoda corrigatur.*

Dominicis diebus ea tantum agenda, quæ ad Dei cultum, & ſervitium pertinent.

Conc. Arelatenſe 6. an. 813. can. 16. Dominicis Diebus, *Publica mercata*, cauſſarumque *diſceptationes* exerceri prohibet; ac *penitus a naturali, & ſervili opere ceſſari* jubet: *His ſolummodo peractis, quæ ad Dei cultum & ſervitium pertinere noſcuntur.* Idem ſtatuit Concilium Remenſe 2. eodem anno, can. 35. & *Donationes in publico facere* præterea vetat, ideſt, Inſtrumenta Donationum a Notariis confici. Turonenſe 3. eodem anno, can. 40. Chriſtianos die Dominica *a ſervili opere feriatos, in laude Dei, & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare* jubet. *Mercata* etiam, *& Placita uſquam fieri* ea die interdicit. Pariſienſe 6. anno 829. can. 50. *Mercatus, Placita, & ruralia quæque opera, necnon quaslibet carrigationes*, ſeu rerum, & onerum evectiones fieri prohibet a cujuſcunque conditionis hominibus: *Quoniam dum hæc agunt, & decus Chriſtianitatis offuſcant, & nomen Chriſti blaſphemantibus locum amplius detrahendi attribuunt*, Addunt hujus Concilii Patres: *Multi noſtrorum viſu, multi etiam quorundam relatu didicimus, quoſdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quoſdam artuum contractione mulctatos quoſdam etiam viſibili igne corporibus oſſibuſque ſimul ſub momento abſumptis, in cinerem ſubito reſolutis, pænaliter occubuiſſe. Et multa alia terribilia judicia extiterunt, & hactenus exiſtunt, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur... Si ergo Judæi Sabbatum carnaliter cuſtodientes, eo die nulla Poteſtate terrena compellente, ab operibus ruralibus ſe abſtinent; quanto magis Chriſti gratia redemptis convenit, ut eo die, quo Auctor vitæ reſurrexit, eiſque ſpem reſurgendi conceſſit, ab his, quæ præmiſſa ſunt, ſe abſtineant, & ſolummodo ſpiritualibus gaudiis repleri, canticiſque hymnigeris, & laudibus cæleſtibus toto cordis anniſu vacare ſatagant?*

Divinam ſæpe ultionem ſunt experti, qui Dominicæ diei ſanctitatem violarunt.

Conc. Meldenſe anno 835. can. 77. non ad Dominicos tantum, ſed ad Feſtos etiam Dies reliquos has prohibitiones pertinere probat; ſiquidem octo diebus Paſchalis Feſtivitatis, qui tunc feriati erant, & ſollemnes, abſtineri jubet *Ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo*, (ſeu textorio, aut lanificio, vel acupictorio, quo fœminæ ut plurimum occupantur) *cæmeterio, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio, audientiali, ac ſacramentis*, ſive juramentis, *exigendis: quatenus eiſdem diebus tanto licentius quanto liberius, omnibus Chriſtianis Sanctæ Reſurrectionis laudibus, & Sacroſanctæ Prædicationi jugiter inſiſtere liceat. Quod ſi quis temerare præſumpſerit, excommunicetur.* Hinc rurſus patet, non licere *Pictoribus* artem ſuam Dominicis, Feſtiſve Diebus exercere, etiam recreationis cauſſa, nec hoc opere ſacros dies violari; *Venationes* etiam his diebus eſſe prohibitas, nec abſque gravi peccato his vacare Nobiles Viros, alioſque, quibus falſo perſuaſum eſt hanc honeſtam animi relaxationem licere, cum Miſſæ interſuerunt.

Conc. Mediolanenſe 1. ſub *S. Carolo Borromæo*, p. 1. tit. *De Feſtorum Dierum cultu*, prohibet, ne illiberales artes diebus feſtis exerceantur, aut nullum opus fiat ab eo tempore alienum, quo ſcilicet a divino cultu avocentur homines, & impediantur, ne toti Deo, ac pietatis officiis vacent. *Ne quid ematur, aut vendatur, præter id, quod ad victum illius diei, vel ad ægrorum curationem neceſſarium ſit. Ne officinæ omnino, aut ex aliqua parte apertæ habeantur. Ne fiant nundinæ, ſed quæ feſto die fieri conſueverint, in antecedentem, vel ſequentem diem, qui feſtus non ſit, transferantur. Qui ſecus fecerit, ſevere plectatur Epiſcopi arbitrio.*

Conc. Mediolanenſe 3. Morum corruptelas, uſumque depravatum luget, *Ab omni & humana, & divina lege alienum, ut Deo dicati dies, ſanctiſque rerum officiis conſecrati, ac Spiritus Sancti doctrina inſtituti, tum ad recolenda divina beneficia, tum ad honores debitos Sanctis tribuendos, ad eorumque vitæ imitationem excitandam, non modo ut oportet, ſancte non colantur, ſed, quod graviſſimum eſt, nefarie violentur, operibus, officiis, rerumque actionibus ab eorum cultu, & pietatis Chriſtianæ ſtudio alienis.* Quamobrem ſecundum Canones, Pontificias Sanctiones, præſertimque *S. Pii V.* Conſtitutionem, quæ incipit, *Cumprimum*, Patrum Inſtituta, & Imperatorias Leges, prohibet, ne quid ſervilis operis feſtis diebus fiat. *Ne iis diebus nundinæ, emporia, mercatuſve agantur: ne quicquam præterea fiat, exerceaturve, quod ad earum nundinarum, vel mercatus apparatum pertineat, etiamſi in diem proxime ſequentem illæ cadant. Ne contractus ulli cujuſvis generis ſint, neve ullæ rerum executiones fiant, niſi cum Jure nominatim permiſſum eſt. Ne collectæ, taleæve in oppidis, pagis, vicis, feſtis diebus exigantur, præſertim quo tempore, vel Sacra fiunt, vel Concio habetur, vel Proceſſiones, vel alia Divina Officia celebrantur, vel Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ exercitationes aguntur. Nec vero ullo præterea unquam die in Eccleſia, in Cœmeterio, Atriove Eccleſiæ illas exigi liceat. Ne libri, imagines, ſigna, & alia id genus uſquam venalia proponantur, aut circumferantur. Ne quæ ad aleæ luſum pertinent, neque larvæ, nec veſtes ad perſonarum hominum uſum vendantur, vel locentur. Ne quas res ad victum neceſſarias vendi licet, illæ prope Eccleſias, in earumve conſpectu venales proponantur. Neque earum ipſarum rerum, præterquam panis a Sole, aut pluvia defendendi cauſſa, in foro locisve publicis tentoria, raſtrave ſint, quibus illæ exponantur. Neque earundem rerum occaſione, cauſſave officinæ apertæ ullo modo ſint: ſed earum oſtiolum parvulum patens ſit, reliqua omni parte clauſa. Quo in genere præterea Epiſcopus illarum rerum venditioni certam horam, & modum præſcribat, ne ex venditione aliquid exiſtat ſcandali, offenſioniſve, aut occaſionis, qua diſtrahantur homines a Divinis Officiis.*

Cur feſti dies in Sanctorum honorem inſtituti.

Quoniam vero ſutores, piſtores, calcearii, tonſores, aliique ejuſmodi opifices in Feſtorum Dierum violatione frequenter peccare ſolent, ſtatuit Synodus, ut iis *Epiſcopus certas Regulas præſcribat, ne deinceps dierum feſtorum cultum violent.*

Conc. Turonenſe anno 1583. & Aquenſe 1585. eadem ſtatuunt circa Feſtorum dierum cultum, quæ Conc. Mediolanenſe 1. *Publicas nundinas, & alios mercatus, quæcunque in contrarium conſuetudine non obſtante, Diebus Dominicis potiſſimum, & annalibus Feſtis, indicere, & frequentare* prohibet. *Si qui vero locorum Domini jus nundinarum, & mercatuum iis diebus ſe habere prætendat, illas in perendinum, aut alium diem non feſtum* transferre jubet, ſub pœna Excommunicationis, ab ipſis, eorumque Procuratoribus, & Judicibus ipſo facto incurrenda.

Conc. Rothomagenſe anno 1581. pariter decernit, *Nundinas omnes, ac negotiationes a quibuſcumque Feſtis in alios dies rejici: Dominos vero locorum, eorumque Procuratores, & Actores, ſeu Judices excommunicari, ſi Dei Mandatis, & Eccleſiæ de obſervatione Feſtorum parere noluerint, & ad ſuas nundinas alios dies deligere.* Rationem affert hujuſce Decreti, quia diabolus his nundinis *non ſolum avertit Populum ab Eccleſiis frequentandis, & Officio Divino, ac Sacris Concionibus audiendis, necnon ad negotia ſæcularia diligentius, quam aliis diebus exercenda provocat contra Feſtorum inſtitutionem: ſed inſuper ad augendum ſacrilegium, fallacias fraudes, perjuria, blaſphemias, contumelias, proximorum offenſiones, & injurias, atque impudica, & obſcœna ludicra in his admiſcet, ut totum hominem perdat in Sabbato, ac ſibi ſubjiciat.* Idem quoad mercatus, & nundinas edixerunt Chriſtianiſſimi Reges, Aurelianenſi Conſtitutione, Articulo 23. & Bleſenſi, Artic. 28. Mutuam igitur operam dare debent Epiſcopi, & Magiſtratus, ut nundinæ Feſtis diebus non fiant, ſed in alios dies transferantur: alioqui & ipſi rei ſunt coram Deo, qui pravam conſuetudinem, abuſumque non corrigunt, cum poſſint: & quicumque nundinas illas frequentant, vendituri aliquid, vel empturi feſtis diebus, niſi neceſſitas urgeat. A mortali tamen videntur excuſari poſſe, ſi Miſſæ auditionem non omittant, qui emunt, vel vendunt in nundinis, quæ Feſtis diebus a Prælatis tolerantur, ſecundum *S. Antoninum*.

Mercatus & nundinæ omnes a diebus feſtis quibuſcumque in alios dies rejici debent.

2. p. Tit. 5. Cap. 7. §. 5.

Synodus Pariſienſis anno 1557. OEnopolis, cupediariis, & id genus aliis, qui vinum, panem, eſculenta, & poculenta in publicum vendere ſolent, vetat, ne quo tempore Divina Officia in Eccleſiis peraguntur, tabernas aperiant, aliquid vendituri. Conc. Rothomagenſe anno 1581. Curatos diligenter animadvertere jubet, ſi Parœciani Dominicis, aut Feſtis diebus divinis Officiis interſint, & de abſentiæ cauſſis inquirere, aut jubere per aliquem puerum abſentes obſervari, & notari, ut poſt admonitionem debitam, quos noverint pertinaces, ad Epiſcopum deferant, & ab eo diſcant quid agendum. Præcipit quoque, ut, *in Pronao pro excommunicatis denuntient, qui poſt admonitionem auſi fuerint Dominicis, & Feſtis diebus, tempore ſervitii, Parœcianos in domum ſuam ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum recipere, mercaturam, aut vecturas non neceſſarias, aut aliud opus exercere.* Conc. Burdigalenſe anno 1582. Magiſtratus omnes hortatur pro ſui officii ratione, ut (quod in ipſis maxime ſitum eſt) Sacros dies illos, ac ſollemnes pie, ſancteque *celebrari curent, tabernas aperiri, vecturas, & opera quævis ruſtica exerceri prohibeant. Quo tempore vero Divinum Officium expletur, aut Conciones habentur, otioſam, & vagam turbam e tabernis, & foro, & plateis abigant, pœniſque propoſitis, rebus ſacris intereſſe compellant.* Aurelianenſis Conſtitutio Chriſtianiſſimi Regis Caroli IX. & Bleſenſis Henrici III. Tabernas, & ludis pilæ palmariæ deſtinatas ædes aperiri vetant Dominicis, & Feſtis diebus tempore Divinorum Officiorum, gravi mulcta arbitraria indicta pro prima vice, pœna carceris pro altera, non ſolum Tabernariis, & Oenopolis, ſed etiam urbium, oppidorum, & pagorum incolis, qui in popinis manducaverint, & biberint quibus horis Divina Officia celebrantur.

Excommunicati ſunt aliiſque pœnis digni Oenopolæ, ſeu Tabernarii, qui Divini Officii tempore oppidanos ad potandum, vel ludendum in domos ſuas recipiunt.

Magiſtratus invigilare tenentur, ne ſacrorum dierum violetur obſervantia.

De Feſtis.

REGULA II.

Pietatis, & juſtæ neceſſitatis cauſſa, ſervilia opera Feſtis diebus exerceri poſſunt.

Hanc Regulam in præcedenti involutam, ſingulatim explicare neceſſe eſt. Explicuit autem Chriſtus ipſe (Matth. 12.) Diſcipulos Sabbato ſpicas vellentes vindicans a Phariſæorum criminatione. *Non legiſtis* (inquit) *quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant, quomodo intravit in Domum Dei, & Panes Propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus? Aut non legiſtis in Lege, quia Sabbati Sacerdotes*

in

in Templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis, quia Templo major eſt hic. Si autem ſciretis, quid eſt, Miſericordiam volo, & non Sacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes. Dominus enim eſt Filius hominis etiam Sabbati. Occurrente vero homine, cui manus erat arida, & interrogantibus Phariſæis: *Si licet Sabbato curare?* Dixit illis Jeſus: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quantò magis melior eſt homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere.*

Id confirmat Conc. Aurelianenſe 3. can. 28. *Quia* (inquit) *perſuaſum eſt Populis die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaicam magis, quam ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur; id ſtatuimus, in die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat.* Conc. Narbonenſe anno 589. can. 4. die Dominico operas fieri vetat, vel boves jungi, *Excepto ſi in mutando neceſſitas incubuerit.* Capitulare Aquiſgranenſe Caroli Magni, vecturas, ſeu carraria opera (ut loquitur) fieri vetat Dominico die, iis exceptis, quæ fiunt ad Mortuos ſepeliendos, quid pietatis eſt; vel ad bellica opera, aut quæ alendis copiis, aut alias neceſſaria ſunt, tranſvehenda. *Sed tria carraria opera licet fieri in die Dominico, ideſt, hoſtilia carra, vel victualia, vel ſi forte neceſſe erit corpus cujuslibet duci ad ſepulcrum.*

Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in Capitulari ad ſuæ Diœceſis Presbyteros, cap. 24. Dominicis diebus nihil aliud vult fieri operis, *Præter orationes, & Miſſarum ſollemnia, & ea, quæ ad veſcendum pertinent.* Et *Si neceſſitas fuerit navigandi, ſive itinerandi, licentia datur; ita duntaxat, ut hac occaſione Miſſæ, & Orationes non prætermittantur.* Itinera diebus Dominicis, & Feſtis licita faciunt pietas, & neceſſitas, non quæſtus, & utilitas temporalis, ſive lucrum, aut voluptas, ſive recreatio. Quod confirmat Conc. Coyacenſe in Hiſpania celebratum anno quinquageſimo ſupra milleſimum, can. 6. *Chriſtiani*, inquit, *Dominica ſervile opus non exerceant, nec ſectentur itinera, niſi orationis cauſſa, aut ſepeliendi Mortuos, aut viſitandi infirmos, aut pro Regis ſecreto, pro Saracenorum impetu.*

Cap. *Omnes dies*, Extra, *De Feriis*, Conc. Compendienſe, *Sacramenta*, ſive Juramenta die Dominico *præſtari* vetat, *niſi pro pace, vel alia neceſſitate.*

Alexander III. cap. *Licet*, ſub eodem Titulo, piſcationem alecum diebus Dominicis, & Feſtis, præterquam in Majoribus anni Sollemnitatibus permittit, *Ingruente neceſſitate*, ea lege, *Ut poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.*

Greg. IX. cap. *Conqueſtus*, eodem Titulo, litium cognitionem, & judicia diebus Feſtis prohibet, *Niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat.*

Nicolaus V. anno 1447. a Tranſilvanis interrogatus, *An pauperibus villanis, ac oppidanis licitum ſit vendere die Dominico, vel Feſto alicujus Sancti, panes, pyra, poma, & alia legumina, vel ſit licitum eis finita menſa poſt prandium de campo, tempore meſſis, cum timetur de pluvia, portare cum pecoribus, vel equis, vel curribus, linum, fœnum, & alia blada humano uſui convenientia*, reſpondet; *Ceſſante neceſſitate ab omni opere ſervili abſtinendum eſt diebus Dominicis, & Feſtivis, ſed neceſſitate cogente, non tamen affectata, ſeu procurata, licitum eſt præmiſſa exercere.* Unde iter cum animalibus, aut curru onuſto bona fide ſuſceptum, die Feſto perſequi licet, vel ob publicam utilitatem, vel ob privatum damnum vitandum.

Concilium Bituricenſe anno 1584. Dominicis, & Feſtis diebus inſtrumenta fieri vetat a Notariis, *Niſi quæ ex neceſſitate Teſtamentorum, aut Matrimoniorum cauſſa differri non poſſunt.*

Synodus Lingonenſis anno 1404. declarat, poſſe Epiſcopum *Dare licentiam in aliquibus mediocribus, vel modicis Feſtivitatibus, operandi in agrorum, vel vinearum cultura, & fructibus fœnationum, meſſium, & vinearum recolligendis, & pro reparationibus Eccleſiarum, locorum religioſorum, vel pro Republica, prout ipſe videbit, quod ex qualitate temporis, vel alia cauſſa neceſſitatis, vel utilitatis expoſcit. Cum autem dabitur hæc licentia, injungatur aliquid dari in fabricis Eccleſiarum pro luminaribus ad honorem illius Feſtivitatis, in qua fiet opus prædictum.*

Synodus Ebroicenſis anno 1576. *Aurigationes, & vecturas, atque omne opus manuum, & jumentorum* diebus Feſtis exerceri prohibet, *Niſi quando in Meſſe, & Vindemia, ſecundum Jura, aeris intemperies, vel alio tempore ſumma, & notoria neceſſitas excuſaverint.* Ceterum *Vectationes, quæ non affectata malitia, ſed per extraneos tranſeuntes in Diœceſi, in Feſta incidunt, ſaltem inhiberi* mandat, *ne in publicum niſi poſt ſollemnioris Miſſæ abſolutionem prodeant.*

Eandem Regulam confirmat *Sanctus Thoma*, 2. 2. q. 40. art. 4. *Obſervatio Feſtorum*, inquit, *non impedit ea, quæ ordinantur ad hominis ſalutem, etiam corporalem. Unde Dominus arguit Judæos, dicens Joann. 7.* Mihi indignamini, quia totum hominem ſalvum feci in Sabbato? *Et inde eſt, quod Medici licite poſſunt medicare homines in die Feſto. Multo autem magis eſt conſervanda ſalus Reipublicæ, per quam impediuntur occiſiones plurimorum, & innumera mala, & temporalia, & ſpiritualia, quam ſalus corporalis unius hominis, & ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium, licitum eſt juſta bella exercere diebus Feſtis: ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat. Hoc enim eſſet tentare Deum, ſi quis imminente tali neceſſitate vellet a bello abſtinere: ſed neceſſitate ceſſante, non eſt licitum bellare in diebus Feſtis.* De Feſtis.

Et q. 122. art. 4. in Reſponſionem ad tertiam objectionem, docet, Opera, quæ pertinent ad Dei cultum, feſtis diebus non prohiberi. *Quia hoc eſſet contrarium fini obſervationis Sabbati. Homo enim ad hoc ab aliis operibus abſtinet* ſacris diebus, *ut vacet operibus ad Dei ſervitium pertinentibus.* Unde dicitur *Joannis 7.* Circumciſionem homo accipit in Sabbato, ut non ſolvatur Lex Moyſis. *Et Matth. 12.* Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, (*ideſt, corporaliter operantur*) & ſine crimine ſunt. *Et ſic Sacerdotes circumferentes Arcam, non tranſgrediebantur præceptum de Sabbati obſervatione.* Addit, *Nullius ſpiritualis actus exercitium eſſe contra obſervantiam Sabbati, ut ſi quis doceat verbo, vel ſcripto.* Subdit poſtea, quemlibet tam ſervum, quam liberum teneri in neceſſariis providere, non tantum ſibi, ſed etiam proximo, præcipue quidem in his, quæ ad ſalutem corporis pertinent, ſecundum illud Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Secundario autem etiam in damno rerum vitando, ſecundum illud Deut. 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo.* Et ideo *Opus corporale pertinens ad conſervandam ſalutem proprii corporis, non violat Sabbatum. Et propter hoc Machabæi non polluerunt Sabbatum, pugnantes ad ſui defenſionem die Sabbati. Similiter etiam nec Elias fugiens a facie Jeſabel die Sabbati. Et propter hoc etiam Dominus excuſat Diſcipulos ſuos, qui colligebant ſpicas die Sabbati, propter neceſſitatem, quam patiebantur. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum. Unde dicit:* Quis *erit ex vobis homo, qui habet unam ovem, & ſi ceciderit Sabbato in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?*

1. Match. 2.
Match. 12.
Match. 12.

S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. Quod *De Negligentia* inſcribitur §. 5. *Pertinet*, inquit, *ad opus ſervile prohibitum, ſcribere pro pretio, ut de quaterno in quaternum, vel inſtrumenta, cum tamen poſſit ſine periculo differri. Conficere autem Teſtamenta infirmorum, vel contractus Matrimonii, ubi eſt de more, videtur poſſe fieri. Videre autem Ratiocinia, & facere computum prolixum, illicitum eſt. Item ad opus ſervile ſpectat, cum equis, aſinis, vel bobus, deferre blada, vel vina, vel ligna, vel mercimonia, niſi neceſſitas urgeat. Item abſtinendum eſt ab itinere dietario, niſi neceſſitas cogat, vel aliud pium opus inducat, ut videlicet viſitatio alicujus Eccleſiæ, vel conſecutio Indulgentiæ, vel reformatio pacis; ſeu amotio ſcandali, & hujuſmodi.*

Quæ opera neceſſitas a peccato excuſet.

Quædam ſubinde recenſet opera, quæ neceſſitas a peccato mortali excuſat Feſtis diebus: *Primo pro conſervando perſonas, vel res ſuas, puta, faciendo foveas, vel machinas, vel hujuſmodi, vel portando res ſuas ad loca ſecura imminente bello, vel portando neceſſaria ad defenſionem, &c. Item ſi jacentibus ſegetibus in agro, vel fœnis in pratis, vel uvis in vineis, immineat tempeſtas, vel aliud periculum amiſſionis illarum rerum, liceret talia colligere. Item, de alia re, quæ deſtruitur, ſi in die feſto circa eam manualiter non operatur, ut extenſio lanæ ad radios ſolis, cum hyeme apparent, vel proſecutio ſuccenſionis fornacis, ad calcem, aut lateres* coquendos, aut vitrea vaſa conflanda. Item *Carnifices*, ſive lanii, *& pincernæ præparantes victualia in Feſtis, ut ſequenti die vendant, ſi non poterant prius præparari, vel præparata conſervari, videntur excuſari a mortali. Item vectores mercium, aut alimentorum, aut perſonarum ad loca remota, cum alias non poſſent ſine gravi incommodo vitam tranſigere, creduntur excuſari, ſi differri non poſſunt.*

Item, qui compelluntur a dominis juſto metu ad laborandum in diebus feſtivis in agris ſuis, vel deferendum ligna, vel lapides, vel faciendum ædificia, vel foveas, & hujuſmodi, quæ ſi non facerent notabiliter damnificarentur in perſona, vel rebus, videntur poſſe excuſari propter neceſſitatem. Melius tamen facerent non obedire, quando opus illud non eſt neceſſarium. Et quia modicus receſſus a medio non tollit bonum virtutis; ideo quod aliquis in horto aliquid faciat parvum, ut obturando ſepem, vel evellendo malas herbas, vel ſuendo aliqua puncta veſtis diſſutæ, vel caligæ, & hujuſmodi, non judicatur violator Feſti.

Barbitonſores non in radendo, ſed in minuendo ſanguinem, & ferratores equorum, & hujuſmodi, ſi in Feſtis exercent artem ſuam principaliter propter neceſſitatem eorum quibus ſerviunt, non propter cupiditatem lucri, excuſantur: & ſimiliter, qui eos requirunt de arte ſua, ſi alias non poterant ſibi commode providere, excuſantur.

Item in molendinis ad aquam, vel ad ventum, quæ ſine magna opera hominis exercentur, poteſt ſervari conſuetudo patriæ non prohibita a Prælatis. Secus de molendinis cum jumentis: & hoc niſi neceſſitas urgeret propter victualia neceſſaria, quia tunc liceret.

Item, diebus feſtivis, non tamen Dominicis, vel Sollemnioribus, licitum videtur laborare pro pauperibus, cum his tamen conditionibus adjunctis: primo, ut non dimittantur Divina, ideſt auditio Miſſæ. Secundo, quod fiat eleemoſynaliter, non propter lucrum. Tertio, quod illi, pro quibus laboratur, indigeant.

Item a fortiori, videtur licitum cuilibet laborare pro ſuſtentatione ſui, & familiæ ſuæ, quando aliter ſuſtentari non valet: ita tamen, quod non dimittantur Divina. Nec enim obſervatio Feſti eſt in tanta arctitudine, ut in Veteri Teſtamento. Et erit bona cautela, ut hoc fiat cum diſpenſatione Epiſcopi. Hæc *S. Antoninus*, quæ ipſis S. Præſulis verbis referre volui, quia hunc caſuum Arbitrum ſequi tutum eſt, qui nec plus æquo exaſperat, nec emollit nimis jugum Chriſti.

Quod *S. Antoninus* dixit de apertione venæ, & minutione ſanguinis Feſtis diebus ob neceſſitatem licita, *S. Cæſarii Arelatenſis* teſtimonio confirmatur Homil. 37. & ex eodem colligitur, illicitum eſſe Dominicis, aut Feſtis diebus ſanguinis minutionem ſibi procurare, aut potionem medicinalem ſumere, niſi neceſſitas urgeat. De Rogationum enim religioſa obſervatione loquens, quæ tamen non ita ſtricta erat ac Feſtorum ceterorum, Dominicorumque dierum, ait: *Nemo ſibi ex induſtria aliquas occupationes audeat providere; nemo ſe otioſis fabulis occupare, ne inde ſibi vulnera faciat, unde ſibi parare medicamenta potuerat. Nemo in iſtis tribus diebus aut ſanguinem tollat, aut potionem accipiat, niſi forte hoc infirmitas nimium periculoſa compellat.*

An Tonſores artem ſuam Dominicis Feſtiſque diebus exercere poſſint.

Quod verò tonſio capillorum, & raſura barbarum paſſim fieri non poſſit abſque Dominicæ, aut Feſti diei violatione, *Joan.* XXII. Pontifex Maximus declaravit, in Litteris ad *Philip. V.* Regem Chriſtianiſſimum vulgo *Longum* appellatum datis anno 1317. & ab *Odorico Raynaldo* relatis ad eundem annum, Num. 4. *Illud ſane*, inquit, *quod inoleviſſe in illis partibus dicitur, ut videlicet paſſim in quandam divinam irreverentiam exerceantur Judicia die Dominico, & radendis, ac tondendis barbis, atque capitibus intendatur, te diſſimulare non decet, cum dies illa divino cultui ſpecialiter dedicata talibus profanari non debeat.*

Idem confirmat Synodus Andegavenſis anno 1282. *Cum diebus feſtivis*, inquit, *ob reverentiam Dei, & Sanctorum introductis, præcipue diebus Dominicis, honori Majeſtatis Altiſſimæ conſecratis, a Chriſti Fidelibus ſit ab omni opere ſervili abſtinendum, ac ceſſandum, & divinis cultibus jugiter inſiſtendum: omnibus, & ſingulis Rectoribus, & Capellanis in virtute obedientiæ præcipimus, & mandamus, quod ipſi Parochianis ſuis inhibeant ſub obteſtatione divini judicii, & pœna Excommunicationis, ne ipſi dictis diebus Dominicis barbas radant, vel alias barbitonſorium officium exerceant, etiam minuendo, niſi mortis, vel gravis infirmitatis periculo imminente, inhibentes ſubditis ſuis ſub pœna prædicta, ne dictis diebus Dominicis ſe radi faciant, aut permittant, aut barbitonſoris officium recipiant, in ſuarum periculum animarum. Inhibentes Molitoribus etiam quibuſcunque ſub pœna interminatione prædicta, & Molendinorum Dominis, ne ipſi dictis diebus Dominicis molendina molire faciant, aut permittant, non obſtante longi temporis abuſu, qui non uſus cenſendus, aut conſuetudo, immo verius corruptela: cum tanto ſint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. Cum aliqua præſcriptio contra præcepta Decalogi locum ſibi vindicare non poſſit.*

Si tamen neceſſitas poſtulet, ut tonſores Dominicis, & Feſtis diebus artem ſuam exerceant, in gratiam opificium, & ruſticorum, qui profeſtis diebus ipſos non poſſunt adire ad barbæ tonſionem, id licitum erit Epiſcopo permittente, vel tolerante. De ſartoribus par eſto judicium, ſi funus urgeat, pullæque veſtes parari non poſſint, niſi parte aliqua diei Feſti laboretur. Conſuetudo enim ab Epiſcopo approbata, vel tolerata, & neceſſitas ipſos a labe peccati lethalis immunes præſtare videntur, modo Miſſam audiant, ſecundum principia *S. Antonini*, cui Venerabilis *Gerſonius* ſuffragatur, in Regulis Moralibus. *Obſervatio* (inquit) *Sabbati quoad circumſtantias temporis, & modi, & loci, pro maxima parte relicta eſt determinationi Prælatorum, quæ cognoſcitur tum ex eorum inſtitutis, tum ex conſuetudinibus per eos legitime toleratis.*

De operibus ſervilibus non exercendis diebus Dominicis, & Feſtivis, plus, & frequenter determinat conſuetudo loci, & perſonarum a Prælatis tolerata, quam alia Lex ſcripta.

Conſuetudo exercendi opera ſervilia, hæc ab iſtis, hæc ab illis, in diebus feſtivis, tunc maxime dicenda eſſet corruptela, quando totaliter a ſervitio Dei, & a cultu Feſtorum, & maxime ab auditu Miſſæ revocaret: quando præterea hæc ſervilia magis ex cupiditate, quam pia neceſſitate Reipublicæ pertractantur.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius erga illos, qui ſervilia opera Dominicis vel Feſtis diebus exercent.

Iis denique opificibus, ſeu molitores ſint, ſeu piſtores, & coqui, ſeu tonſores, aut ſartores, ſeu mercium, aut rerum aliarum vectores, qui diebus Dominicis, aut Feſtis, opera ſervilia ex neceſſitate, & cum Prælatorum licentia, abſque Divinorum, & præcipue Sacri omiſſione exercent, id oneris Confeſſarius imponit, ut lucrum ex operibus ſacro die patratis proveniens cum Eccleſiis, & Chriſti pauperibus partiantur, ſecundum c. *Licet*, Ext. *De Feriis*, & Synodi Lingonenſis Decretum. Qui vero Dominicis, aut Feſtis diebus, abſque urgente neceſſitate, & licentia Prælatorum expreſſa, vel implicita, ſervilia opera maxima diei parte exercent ex prava conſuetudine, & lucri cupiditate, non ſunt abſolvendi, donec de ipſorum emendatione conſtet, veroſque Pœnitentiæ fructus ediderint.

De Feſtis.

Concilii Trid. Catechiſmus breviter ea inquirit, quæ ad Regulam pertinent, quam paullo fuſius explicare neceſſe fuit. *Non tamen*, inquit, *eæ actiones neque ea opera vetantur, quæ ad divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint, ut Altare inſtruere, Templa alicujus Feſti Diei cauſſa ornare, & reliqua hujus generis, ideoque a Domino dictum eſt, Sacerdotes in Templo Sabbatum violare, & ſine crimine eſſe. Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi exiſtimandum eſt, quarum jactura facienda ſit, ſi die Feſto prætermittantur, quemadmodum Sacris etiam Canonibus permiſſum eſt. Multa alia Dominus in Evangelio Feſtis diebus fieri poſſe declaravit.* Matth. 12.

Graviter peccant Domini, qui ſervilia opera Feſtis diebus, vel per horam ſuis famulis imponunt.

Ex his collige, lethalis peccati reos eſſe dominos, qui famulis opera ſervilia imponunt diebus Feſtis, vel per horam, abſque gravi neceſſitate, ſive ſervi illi Chriſtiani ſint, ſive infideles, ſive mentis compotes, ſive perpetuo amentes. Non ſolum enim *Digni ſunt morte, qui talia agunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus*, & illis cooperantur. Peccato autem alterius cooperari cenſendus eſt, qui jubet id, quod Dei, vel Eccleſiæ lege vetitum eſt. Flagitioſæ igitur, & omnino damnandæ ſunt Propoſitiones illæ: *Singulis Feſtis per duas operari horas, non eſt mortale peccatum, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere velle, & de facto efficias. Et Dominus injungens laborem duarum horarum viginti famulis ſimul, non peccat mortaliter. Idemque erit, ſi ſinguli ſucceſſive per modicam moram eodem die laborent, etiamſi uno poſt alterum laborante tota dies occupetur.* Hæ inquam Propoſitiones erroneæ ſunt, & merito damnandæ, utpote, quæ præceptum de ſanctificatione Sabbati abſurdis cavillationibus infringat; *Non facies in ea quidquam operis, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus, & ancilla . . . Ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu.* Quod Præceptum quatenus morale eſt, Dominicis, ac Feſtis diebus dominos pariter, & ſervos obligare, ut totti Deo vacent, non eſt dubitandum. Si ergo Saulus Stephanum eorum omnium manibus lapidaſſe merito cenſetur, quorum veſtimenta ſervabat, ut expeditius lapidibus illum obruerent, ut *S. Aug.* ait: quis diffiteri poſſit oculatus, & cordatus, herum illum toto die Feſto ſerviliter laborare, cujus juſſu famuli diviſis inter ſe horis ſerviliter operantur? Si quis igitur, vel per unam horam abſque gravi neceſſitate, Feſtis diebus laboret, vel alterum laborare cogat, is violati præcepti de Sabbati ſanctificatione, lethaliſque peccati reus eſt: & ſi animo fixum teneat id deinceps efficere velle, non eſt abſolvendus in Pœnitentiæ tribunali.

Rom. 1. 32.
Deut. 5.

Ex his compertum eſt, quam merito ab *Innoc. XI.* Pontifice Maximo damnata ſit illa Propoſitio: *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Quam & Clerus Gallicanus anno 1700. hac Cenſura confixit. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, ad violandas Leges tum Civiles tum Eccleſiaſticas viam aperit, &c.*

REGULA III.

Convivia publica, & comeſſationes, choreæ, ludi ſcenici, vel theatrales, & cujuſvis generis ſpectacula Dominicis Feſtiſve diebus agi, duci, exhiberi, frequentari ſine gravi peccato non poſſunt, quibus præſertim horis Officia Divina celebrantur.

Quæcumque enim animum a rerum divinarum cura, ſtudioque avocant, diebus Feſtis ſunt prohibita, ut docet Concilii Tridentini Cathechiſmus: hæc autem omnia animum a rerum divinarum cura, ſtudioque maxime avocant. Unde *S. Aug.* Concione 1. in Pſ. 32. ait: *Obſerva diem Sabbati, non carnaliter, non Judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utique tota die foderent, quam tota die ſaltarent.* Et in Pſal. 91. *Ecce & hodiernus dies Sabbati eſt, Hunc in præſenti tempore otio quodam corporaliter languido, & luxurioſo celebrant Judæi. Vacant enim ad nugas, & cum Deus præceperit obſervari Sabbatum, illi in his, quæ Deus prohibet, exercent Sabbatum. Vacatio noſtra a malis operibus, vacatio illorum a bonis operibus eſt. Melius eſt enim arare, quam ſaltare. Illi a bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant.* Et Lib. *De Decem Chordis*, c. 3. *Dicitur tibi, ut ſpiritualiter obſerves Sabbatum, non quomodo Judæi obſervant Sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas, atque luxurias ſuas. Melius enim faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quam in theatro ſeditioſus exiſteret. Et melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quam tota die in mænianis ſuis impudice ſaltarent.* De Feſtis.

Hinc Conc. Carthaginenſe IV. can. 88. ſtatuit, *Ut qui die ſollemni prætermiſſo ſollemni Eccleſiæ conventu ad Spectacula vadit, excommunicetur.*

Spectacula, & Choreæ diebus præſertim Dominicis, & Feſtis prohibita.

Concil. Toletanum III. can. 23. exterminari jubet irreligioſam conſuetudinem, *Quam vulgus per Sanctorum Sollemnitates agere conſuevit. Populi*, inquit, *qui debent Officia Divina attendere, ſaltationibus, & publicis invigilant canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed etiam Religioſorum Officiis. Hoc enim ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum, & Judicum a Conſilio ſancto curæ committitur.*

Conc. Cabilonenſe anno 650. can. 18. Choreas *A ſeptis Baſi-*

Baſilicarum, vel Porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis Atriis vetari, & arceri ſtatuit intentata Excommunicationis pœna.

Herardus Turonenſis Archiepiſcopus in Capitulari, cap. 114. prohibet ne Chriſtiani Feſtis diebus *In plateis, aut domibus, cantica turpia, vel luxurioſa, ſaltationes, vel luſa faciant diabolica.* Hortatur, ut *Aliquem ſapientem, & bonum hominem* plebs rudis, & imperita *conveniat, & ibi bonis lectionibus, quæ ad animæ ſalutem pertinent, intendat.*

Eandem Regulam confirmat Conc. Mediolanenſe 3. tit. 1. De Feſtorum dierum cultu. *Quoniam*, inquit, *uſu nimis compertum eſt, depravatis his temporibus, & moribus, ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia nunquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcœna dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carni illecebras illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia, quam ſæpiſſime his tot offenſionum, & peccatorum ſeminariis locum dari, iis præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt, & iis ipſis diebus Fideles pleroſque nefariis iſtis Satanæ blanditiis illectos, a Divinis Officiis, religioſis Supplicationibus, lectionibuſque ſacris abduci, avertique rudes a percipiendis Fidei rudimentis, alioſque ab aliis Chriſtianæ pietatis Officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt, abſtrahi, & amoveri, hoc certe graviſſimum eſt in conſpectu Dei, & Eccleſiæ: quare Feſtis iis diebus, ſaltem horis, quibus Divina celebrantur Officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne item Comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatrales, haſtiludia, & alia cujuſvis generis Spectacula agantur. Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones præſtigias ſuas, inaniaque ea ſpectacula agant, neque quidquam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.* — De Feſtis.

Conc. Rothomagenſe 1581. tit. De divino cultu, *Comeſſationes, ebrietates ſumptus, lites, luſus improbos, & inhoneſtos, choreas plenas infamiis, cantilenas turpes, omnem luxum, & laſciviam, a quæ Feſtorum profanationem* damnat, & reprobat. Conc. Remenſe, anno 1583. tit. De diebus Feſtis, *Ludos theatrales, etiam prætextu conſuetudinis exhiberi ſolitos, & puerilia, ceteraque ludicra, quibus Eccleſiæ inquinatur honeſtas, & ſanctitas in Chriſti, & Sanctorum Feſtivitatibus* omnino prohibet. Conc. Turonenſe eodem anno, *Comœdias, ludos ſcenicos, vel theatrales, & alia ejus generis irreligioſa Spectacula* Feſtis diebus agi *ſub Anathematis pœna* prohibet. *Comeſſationes* etiam, *convivia publica, tripudia, ſaltationes, ſtrepitus, & choreas fieri, venatu, & aucupatu tempus terere vetat.* Simile Decretum edidit Conc. Bituricenſe anno 1584. tit. 6. Eadem prohibuit Conc. Aquenſe anno 1585. tit. *De Feſtorum Dierum cultu.*

Eadem prohibet Conventus Melodunenſis Cleri Gallicani tit. 6. De Feſtorum cultu, *Ne* ſcilicet *moriones, & ſaltatores Feſta ſuburbiorum cum tympano prænuntient populis urbium, ut eos ad luxum, voluptates, & ebrietates a ſua Parœcia avocatos ad ſe trahant. Ne ludi equeſtres, certamina, ſaltationes, aut inania alia ludicra, & profana diebus Feſtis exerceantur. Qui ſecus fecerint, graviter puniantur, ſi ſemel admoniti, & ad Epiſcopos delati non reſipuerint.* Eadem prohibentur Chriſtianiſſimorum Regum Conſtitutionibus Aurelianenſi, & Bleſenſi.

Convivia tamen privata, ſobria, & publica Dominicis, Feſtiſve diebus; choreas item privatas puellarum, ſeu in paternis ædibus, ſeu apud conſanguineos, vel amicos: ruſticarum etiam fœminarum ſaltationes honeſtas, modo tempore Divinorum Officiorum non fiant, nec ab Epiſcopis ſint prohibitæ, nec Eccleſiarum proſpectu fiant, abſitque periculum omne laſciviæ, & ſcandali, (alias enim honeſtæ non cenſerentur) nemo lethalis peccati damnaverit.

REGULA IV.

Feſtorum numerum ab Epiſcopis minui præſtat, ubi eorum violatio vix cohiberi poteſt.

Ita cenſuit Conc. Trevirenſe anno 1549. *Operæ pretium nobis viſum eſt*, inquit, *Feſtorum numerum contrahere, quo effrænes coerceantur, & aliquid detur neceſſitati pauperum.*

Eandem Regulam tradit Conc. Cameracenſe anno 1565. tit. 6. c. 11. *Cum* inquit, *Diebus Feſtis, ut plurimum vulgus ad laxiorem, & diſſolutiorem vitam plerumque ſeipſum effundat, quam reliquis diebus; quo majore reverentia, & pietate queant obſervari ab omnibus, videant Epiſcopi, ſintne aliqui Feſti Dies, quos præſtet eſſe profeſtos, ideſt, ut vocant, operarios: atque his diebus renuntient popularibus integrum eſſe operas conſuetas exercere.*

De Feſtis. Eandem Regulam ſecutum eſt Concilium Senonenſe anno 1525. Feſta plurima, vulgo *Operum manualium*, ſeu *Brachiorum* dicta, expunxit, & abrogavit, cum intellexiſſet, *Ex nimia Feſtorum multiplicatione populum otio, & vaniloquio illis diebus deditum, ebrietatibus, comeſſationibus, ludis, & laſciviis, magis quam rei divinæ, orationibus & contemplationi vacare, & pauperes, & plebejos inde multum gravari.* Hoc Decretum promulgavit Synodus Carnotenſis anno 1526. Plura alia variarum Diœceſum Statuta Synodalia referre inutile eſſet. Quod autem in ſuis Diœceſibus poſſunt Epiſcopi circa Feſtorum imminutionem, id multo magis poteſt Romanus Pontifex in toto orbe Chriſtiano. Quocirca *Urbanus VIII.* Conſtitutione data anno 1642. Feſtorum numerum, qui nimium excreverat, ad plurimorum Epiſcoporum per varias regiones conſtitutorum relationem imminuit. Ne autem dies Feſtos a locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monet, *Ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem, de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum ſtudeant abſtinere.*

Eandem Regulam confirmat Venerabilis *Gerſonius* in Sermone habito in Concilio Remenſi anno 1408. & *Nicolaus de Clemangis*, in Tract. *De Novis Celebritatibus non inſtituendis.*

REGULA V.

Præceptum de Sanctificatione ſpiritali Sabbati magis violare cenſentur, qui Dominicis, aut Feſtis diebus lethale peccatum committunt, quam qui quodvis opus corporale, alias bonum, & licitum faciunt.

Cum enim nulla ſit infelicior, & magis execranda ſervitus illa, qua homo ſervit peccato, ſecundum Chriſti ſententiam, Joan. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati:* ſequitur omne opus peccati eſſe ſervile, ideoque prohiberi ſingulari quodam modo Feſtis diebus, utpote maxime repugnant obſervantiæ religioſæ Feſtorum. Ita docet *S. Thomas*, 2. 2. quæſt. 122. *Quia*, inquit, *magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis ſit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Feſto, quam qui aliud corporale opus licitum facit.* Unde *S. Aug.* dicit in Libro *De Decem Chordis*: Melius faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditioſus exiſteret: & melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quam toto die in mœnianis ſuis impudice ſaltarent. *Non autem, qui peccat venialiter in Sabbato contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit ſanctitatem.*

Idem confirmat Concilii Trid. Catechiſmus. *Facile* (inquit) *percipi poteſt, omne ſervilis operis genus prohiberi, non quidem ea re quod ſua natura, aut turpe, aut malum ſit: ſed quoniam mentem noſtram a divino cultu qui finis præcepti eſt, abſtrahit. Quo magis peccata a Fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolum animum a divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos a Dei amore prorſus ſejungunt.*

Atque ex *S. Aug.* hanc doctrinam hauſerunt Catechiſmi Auctores, Tractatu 3. in Joannem, dicente: *Spiritualiter obſervat Sabbatum Chriſtianus, abſtinens ſe ab opere ſervili. Quid eſt enim ab opere ſervili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga:* Omnis, *qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Et Enarrat. 2. in Pſal. 32. *Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipſam requiem omnia faciens, abſtine ab opere ſervili. Omnis enim, qui facit peccatum ſervus eſt peccati; & utinam hominis, & non peccati.* Et Serm. 33. alias De Diverſis 18. *Domum Dei* (inquit) *quod eſt Spiritus Sanctus, promittit requiem ſempiternam, quæ Sabbato figuratur. Unde nos Sabbatum ſpiritualiter obſervamus, ſi non faciamus opera ſervilia. Ab his enim etiam carnali intellectu Judæi Sabbato prohibentur. Qui autem ſpiritualia vult intelligere opera ſervilia, audiat Dominum dicentem;* Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Peccatum autem non ſolum illud eſt, quod in turpi, aut iniquo facto, apparet hominibus; ſed etiam ſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem ſempiternam. Quodlibet enim quiſque facit, ſi hoc animo facit, ut terrenum emolumentum conſequatur, ſerviliter facit, & ideo Sabbatum non obſervat. Gratis enim amandus eſt Deus: nec anima poteſt, niſi in eo, quod diligit, requieſcere. Æterna autem requies ei non datur niſi in dilectione Dei, qui ſolus æternus eſt, & iſta eſt perfecta ſanctificatio, & ſpiritale Sabbatum Sabbatorum.*

Nullum opus ſervile magis quam peccatum. Joan. 8. 34.

Idem docet *S. Iſidorus Peluſiota*, Lib. 1. Epiſt. 70. *Nihil* (inqnit) *ſervilium rerum, ac vos ab otio in Dei cultu collocando tamquam ſervos abſtrahentium, die Sabbati faciatis, nec quod vos peccatorum pondere deprimat. Eſt enim recreationis, ac remiſſionis dies, nec ipſius dignitatem vitiorum colligationibus dedecorari, contumeliaque affici convenit. Quod autem ſequitur.* Quæcunque fiunt, ex animo fieri oportere, *per hæc verba ea omnia, quæ animæ lucrum afferunt, expleri præcipit, hoc eſt, precationem, quietem, admonitionem, beneficentiam, pudicitiam continentiam, veritatem, puritatem. Quæ quidem ad internum hominem tranſeuntia; externum ſcandalis, & adverſis caſibus liberant; ſuperante videlicet eo, quod melius, ac præſtantius eſt.* Ex S. Iſidori Peluſiotæ mente duo requiruntur potiſſimum ad Feſtorum ſanctificationem, ſcilicet abſtinentia ab operibus ſervilibus, & præſertim a peccatis, & exercitio in bonis operibus.

Et *S. Gregor. Magnus* explicans illud Jerem. 17. *Ne inferatis onera per portas veſtras die Sabbati*, Epiſt. 3. Lib. 11. ait: *Qui lucem fidei agnoſcit, ſi peccata concupiſcentiæ ad mentem per oculos trahit, in die Sabbati onera per portas in-*

tro-

troducit. Non ergo in die Sabbati per portas introducimus onera, ſi in Redemptoris noſtri gratia conſtituti, pondera peccati ad animam per ſenſus corporeos non trahamus.

Idem confirmat Synodus Lingonenſis: *Homines* (inquit) *utriuſque ſexus in Feſtis debent eſſe plurimum intenti Divinis, puta orando, Eccleſiaſtica Officia, & Divina, ac Sermones verbi Dei audiendo, de Deo, & Sanctis loquendo. Et ut his rebus melius poſſint intendere, debent abſtinere ab omni opere ſervili, & potiſſime a peccato: quia gravius peccat, qui peccat in Feſto, puta furatur, fornicatur, quam in aliis diebus hoc facit.*

Et Synodus Eboracenſis anno 1576. *Ceſſare vero oportet Chriſtianum in die Feſto maxime a vitiis, & peccatis; quoniam ſervire debet Deo, cui diſplicet omne peccatum.*

Tribus modis Feſtorum Religio violatur.

Eandem Regulam confirmat *S. Antoninus* 2. p. tit. 9. c. 7. §. 2. *Feſtum* (inquit) *violatur, & male celebratur ex triplici negligentia, ſeu defectu. Primo, quia non cavetur a defectibus criminalibus. Secundo, quia non inhæretur actibus ſpiritualibus. Tertio, quia non abſtinetur ab operibus manualibus. Quantum ad primum, debet quis abſtinere a peccatis, maxime Diebus Feſtivis, quia plus habent impedire mentem, ſi mortalia ſunt, a vacando Deo, quam opera manualia. Unde dicitur* Lev. 23. *de Sabbato cui ſuccedunt Feſta Eccleſiæ:* Omne opus ſervile non facietis in eo. *Sed opus ſervile eſt peccatum. Dicit enim Chriſtus, Joan.* Omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati... *Peccatum ergo mortale commiſſum die Feſto, eſt multo gravius, quam alia die. Nam ultra propriam deformitatem, puta, furti, vel fornicationis, habet ſpecialem deformitatem ex illa circumſtantia temporis ſacri, qua Feſtum violatur. Unde talis, ut dicit* Nicolaus de Lyra, *ſuper Exodi c. 20. non ſolum agit contra unum præceptum, ſcilicet,* Non mœchaberis, *aut illud,* Non furtum facies; *ſed etiam contra illud de ſanctificatione Sabbati.*

REGULA VI.

Quilibet Chriſtianus Dominicis, & Feſtis diebus Miſſam integram attente; & devote audire tenetur, niſi ipſum moralis impoſſibilitas, ſeu gravis neceſſitas excuſet: alioqui lethalis peccati reus eſt.

De Religioſa Feſtorum dierum obſervantia.

Iſtud enim Eccleſiæ Præceptum eſt, cui parere nos juſſit Chriſtus. Ab ipſis Apoſtolorum temporibus lex iſta Chriſtianis poſita videtur, cum ejus originem poſt Apoſtolorum Sæculum non inveniamus. Conventus Chriſtianorum Dominicis diebus agi ſolitos, in quibus Sacroſanctum Sacrificium offerretur. *S. Juſtinus* docet in Apologia ad Imperatores: in natalitiis quoque Martyrum offerri Deo Sacrificium conſueviſſe, *S. Cyprianus*, aliique Patres teſtantur. *Ad Dominicum convenire*, loquendi modus erat primis Eccleſiæ ſæculis ſollemnis.

S. Leo Epiſt. 11. alias 81. ad *Dioſcorum* Alexandrinum Epiſcopum, Miſſæ Sacrificium pluries offerri jubet ſollemnibus diebus, ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ, ut totus Populus Chriſtianus ipſi intereſſe poſſit. Ut *autem* (inquit) *in omnibus obſervantia noſtra concordet, illud quoque volumus cuſtodiri, ut cum ſollemnior quæque Feſtivitas conventum Populi numeroſioris indixerit, & ea Fidelium multitudo evenerit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſſit, Sacrificii Oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admiſſis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui poſtmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis, atque rationis ſit, ut quoties Baſilicam, in qua agitur, præſentia nova plebis impleverit, toties Sacrificium ſubſequens offeratur. Neceſſe eſt autem, ut quædam pars Populi ſua devotione privetur, ſi unius tantum Miſſæ more ſervato, Sacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte convenerint. Studioſe ergo Dilectionem tuam, & familiariter admonemus, ut quod noſtræ conſuetudini ex forma paternæ Traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis, & fide, & actibus congruamus.*

S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus Hom. 12. qui Sermo eſt in *S. Auguſt.* Appendice 281. Populum graviter increpat, quod Dominicis, & Feſtis diebus Miſſam integram non audiret. *Rogo vos* (inquit) *& paterna pietate commoneo, ut quoties, aut in die Dominico, aut in aliis Majoribus Miſſæ fiunt, nullus ab Eccleſia diſcedat, donec Divina Myſteria compleantur. Et quamvis multi ſint, de quorum fide, & devotione gaudemus, ſunt tamen plures minus de ſalute animæ ſuæ cogitantes, qui lectis divinis Lectionibus ſtatim de Eccleſia foris exeunt, cum tamen etiam dum ipſæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otioſis, & ſæcularibus fabulis occupantur; ut eas nec ipſi audiant, nec alios audire permittant. Iſti tales minus a nobis culparentur, ſi ad Eccleſiam non venirent: quia ibi probantur amplius Deum lædere, ubi peccatorum poterant indulgentiam promereri... Si diligenter attenderitis, cognoſcetis, quia non tunc fiunt Miſſæ, quando divinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Domini conſecratur. Nam Lectiones ſive Propheticas, ſive Apoſtolicas, ſive Evangelicas, etiam in domibus veſtris, aut ipſi legere, aut alios legentes audire poteſtis: Conſecrationem vero Corporis, vel Sanguinis Domini non alibi niſi in Domo Dei audire, vel videre poteſtis. Ideo, qui vult Miſſas ad integrum cum lucro animæ ſuæ celebrare; uſquequo Oratio Dominica dicatur, & Benedictio populo detur, humiliatio corpore, & compuncto corde ſe debet in Eccleſia continere. Cum enim maxima pars Populi, immo, quod pejus eſt, pene omnes, recitatis lectionibus exeunt de Eccleſia, cui dicturus eſt Sacerdos,* Surſum corda? *Aut quomodo ſurſum ſe habere corda reſpondere poſſunt qui deorſum in plateis, & corpore ſimul, & corde diſcedunt?.... Quibus non ſufficit, quod per totam hebdomadam, aut pro neceſſitate, aut forte, quod verius eſt, pro cupiditate jugiter occupantur: adhuc inſuper poſt unius, aut duarum horarum ſpatium, quo videntur corpore magis, quam corde ad Eccleſiam convenire, mittentes dorſa Sacrificiis, vel Sacerdotibus Dei, ad amplexandam voluptatem ſæculi hujus ſine mora aliqua revertuntur. Qui non agnoſcentes, quid exſpectant, quid relinquunt, ſequuntur tenebras, & deſerunt lucem; amplectuntur umbram, & deſpiciunt veritatem: dimittunt dulcedinem Chriſti, & requirunt amaritudinem Mundi, diligentes vanitatem, & quærentes mendacium. Vere ignorat quantum boni in celebrandis Miſſis agitur, qui de Eccleſia feſtinus egreditur. Cum tamen iſtos tales ſi aut Rex, aut aliqui potens perſona vocaſſet ad prandium, velim ſcire ſi præſumerent diſcedere, niſi prius totum prandium compleretur: etiamſi perſona non teneret, gula teneret. Quare de convivio hominis, niſi perexpletum fuerit, non diſcedimus, niſi quia & ventrem forte pluſquam expedit explere volumus, & hominem lædere formidamus? Quare de ſpiritali, & divino Convivio cito diſcedimus? Quia nec de cibo animæ curamus, nec Deum timemus, nec hominem reveremur. Et quia Deo propitio, non ſunt omnes in hac parte culpabiles, ſed multi inveniuntur, qui cum grandi compunctione, uſquequo Benedictio ſuper Populum detur, de Eccleſia non diſcedunt, & humiliter orare non ſolum pro ſe, ſed & pro aliis non deſiſtunt: illis quibus tantam compunctionem Deus dedit, ut in Eccleſia perſeverent, retribuet mercedem; eos vero, qui negligentes ſunt, juſto judicio damnabit. Et ideo, Fratres, monete eos, qui nec Orationem Dominicam dicere, nec Benedictionem accipere volunt: & non deſiſtatis caſtigare, dicentes, & definitiſſime comminantes, Quia nihil eis prodeſt, quod divinas lectiones audiunt, ſi ante quam Divina Myſteria compleantur, abſcedant. Illis tamen, qui in publicis neceſſitatibus occupantur, & eis, qui aliqua infirmitate prohibente expectare non poſſunt, imputare non poſſumus, nec debemus. Ipſi tamen videant in conſcientia ſua, utrum eos neceſſitas retrahat, an voluntas.*

De Religioſa Feſtorum dierum obſervantia.

Ex hac *Sancti Cæſarii* Homilia colligitur, Chriſtianum quemlibet teneri ad audiendam Miſſam integram Dominicis, & Feſtis diebus. Secundo, graviter peccare, qui non audiunt, & ante Sacerdotis Benedictionem diſcedunt, juſtoque Dei judicio damnandos. Tertio, Miſſam attento, devotoque animo, & *cum compunctione* audiendam. Quarto, ſolam neceſſitatem ſive impotentiam hac in re a peccato mortali excuſare, adeoque omitti non poſſe Miſſam die Feſto propter lucrum ceſſans, abſque reatu peccati mortalis.

Hinc Conc. Burdigalenſe anno 1642. tit. *De Officiis Divinis*, cap. 3. *Grave* (inquit) *quamplurimos homines, negotia ſæcularia quamvis leviſſima tanti facere, ut eorundem ratione Dominicis Diebus, & Feſtis ſollemnibus ad audiendum Sacrum, nulla ſollicitudine, nulloque Divini Numinis metu adduci poſſint. Moneant igitur Parochi omnes, & Concionatores ſæpiſſime Populum, iis diebus ad audiendum Sacrum ſub peccati mortalis pœna teneri, & obligari; nulluſque ſit, qui contra docere, prædicare, aut conſulere audeat, aut ſecus ab Ordinariis puniatur.*

Miſſa integra Feſtis diebus audienda.

Obligationem audiendi Miſſam integram Dominicis, & Feſtis diebus confirmant pariter Concilia, ſcilicet Agathenſe anno 506. can. 47. *Miſſas Die Dominico a ſæcularibus totas teneri, ſpeciali ordinatione præcipimus, ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præſumat, qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publice confundantur.*

Aurelianenſe, anno undecimo ſupra quingenteſimum, can. 26. *Cum ad celebrandas Miſſas* (inquit) *in Dei nomine convenitur, Populus non ante diſcedat, quam Miſſæ ſollemnitas compleatur: & ubi Epiſcopus non fuerit, Benedictionem accipiat Sacerdotis.*

Concilium Burdigalenſe anno 1582. *Illa eſt*, (inquit) *valde culpanda conſuetudo, ab elevatione Venerabilis Sacramenti, vel ante peracta Myſteria recedendi. Quare omnes moneantur ſedulo a Parochis, illos Eccleſiæ præcepto de audienda Miſſa non ſatisfacere, niſi forte, quod raro accidit, talis neceſſitas ſit, quæ moram non ferat. Nulli ergo ante datam a Sacerdote Benedictionem diſcedere liceat.* Idem ſtatuit Concilium Turonenſe anno 1583.

Si quis ergo notabili parti Miſſæ, videlicet mediæ, vel tertiæ parti non interſit, præcepto non ſatisfacit, ſecundum *S. Antoninum* 2. p. titul. 9. cap. 10. Eum vero, qui non interfuerit Conſecrationi, reum eſſe violati præcepti de Miſſa audienda, certiſſimum eſt; ſiquidem (ut ait S. Cæſarius Arelatenſis) *Tunc fiunt Miſſæ, quando munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Domini conſecratur.* Damnanda ergo recentioris cujuſdam Caſuum Arbitri opinio, qui ſcribere auſus eſt, ſatisfieri præcepto auditionis Miſſæ, etiamſi quis non interſit Conſecrationi: quia poteſt (inquit) adhære-

hærere opinioni aſſerenti ſacrificii eſſentiam in Communione conſiſtere; atque adeo non eſt dicendus omiſiſſe Sacrificium: hæc (inquam) opinio explodenda, & damnanda eſt.

Qui diebus Feſtis a Miſſa audienda excuſentur.

Excuſantur autem ab hujus præcepti obſervantia infirmi, qui domo exire non poſſunt, & qui infirmis pericuLoſe decumbentibus miniſtrant, ſi neminem ſubſtituere poſſunt, qui ipſorum interim curam gerat, & matres, quæ non poſſunt dimittere infantes ſine periculo; & alii, qui impedimenta legitima habent, vel ardua negotia, quæ non poſſunt dimittere ſine magno detrimento, ſcandalo, vel periculo, (inquit *S. Antoninus.*) Idque confirmat ex c. *Quod non eſt*, Extra, *De Regulis Juris*, cujus hæc ſunt verba: *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. Nam & Sabbatum cuſtodiri præceptum eſt: Machabæi tamen ſine culpa ſua in Sabbato pugnabant: ſic & hodie ſi quis Jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Nec viduæ nec puellæ nubiles a Miſſæ auditione excuſantur.

Quod Viduæ aliquibus diebus, vel hebdomadis a morte virorum maneant domi in ſignum triſtitiæ, unde & Miſſam non audiunt, tolerandum videtur *S. Antonino*, ſi eſt conſuetudo patriæ. Concil. Mediolanenſe 1. ſtatuerat, ne ad ſummum menſe amplius ſint ſine Miſſæ auditione, qua in re (inquit) nulla valeat excuſatio cujuſvis conſuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item Epiſcopi etiam Cenſuris Eccleſiaſticis id facere cogant. Concilium vero Mediolanenſe 3. nullius conſuetudinis prætextu permittendum conſultius ſtatuit, ut Dominico, vel Feſto Die Miſſæ auditionem omittant. *Feſtis* (inquit) *diebus Sacroſancto Miſſæ Sacrificio Fideles omnes interſint. Neque vero excuſantur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ, ne permiſſu quidem primi noſtri Concilii, ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujuſvis conſuetudinis prætextu.*

Servi, & ancillæ Miſſam audire tenentur Feſtis diebus.

Cum autem Feſtis diebus ſervi, & ancillæ Deo vacare debeant non minus quam domini, providere debent domini, ut Miſſam audiant, cum de illis omnium Domino reddituri ſint rationem. Unde rurſus Concilium Mediolanenſe 1. Parochis præcipit, ut *Moneant frequenter patres-familias, ut filios, & famulos, quos in beſtiis paſcendis occupant, ſaltem diebus Feſtis Miſſæ jubeant intereſſe.*

Iter non excuſat ab auditione Miſſæ Feſtis diebus.

Qui diebus Feſtis ex neceſſaria cauſſa iter agunt, ante profectionem Miſſam audire tenentur, ſi prævideant ſe in ea loca venturos, ubi Miſſam audire non poſſint ob penuriam Sacerdotum, vel ob horam intempeſtivam. Damnanda igitur opinio eſt cujuſdam Caſuum Arbitri, qui præviſionem carentiæ Miſſæ non obſtare aſſerit, quo minus quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum, ubi ob penuriam Sacerdotis nequibit die feſto Miſſam audire. Standum potius S. *Antonini* judicio, tit. 9. 2. p. c. 10. ſcribentis: *Quicunque ex negligentia vera omittit audire Miſſam Diebus Dominicis, & Feſtivis, cum poſſit, peccat mortaliter, Facit enim contra præceptum Eccleſiæ, quod habetur*, De Conſecratione, *diſt.* 1. *ubi dicitur*: Miſſas ſæcularibus totas audire die Dominico ſpeciali ordine præcipimus; ita ut nullus ante Benedictionem Sacerdotis egredi præſumat . . . *Non excuſantur ab hoc præcepto itinerantes, ſi commode audire poſſunt, alias ſecus: puta, aliquis eſt in ſocietate aliquorum, qui nolunt exſpectare Miſſam, & ſine ſocietate illa non bene poteſt iter facere, vel quia ignorat viam, quæ difficilis eſt, & periculoſa, vel quia non eſt tuta a latronibus, vel quia ab illis habet expenſas itineris, & hujuſmodi: excuſatur hic ſine dubio.*

REGULA VII.

Nec ſucceſſiva, nec ſimultanea duarum partium diverſarum Miſſarum auditione impletur Præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa Dominicis, aut Feſtis Diebus.

Ex duobus enim, vel pluribus partibus diverſarum Miſſarum nequaquam conflatur unum Sacrificium, cui intereſſe jubet Eccleſia. Unde merito Facultas Theologica Lovanienſis anno 1657. inter alios Articulos ab Epiſcopo Handavenſi ad ejus examen delatos hunc ordine 17. damnavit: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor, ſimul a diverſis celebrantibus audit.*

Propoſitiones damnatæ.

Et hac Cenſura confixit: *Falſa eſt, & Præceptorum Eccleſiæ eluſiva, nec majorem habet apparentiam de quatuor Sacri partibus, quam de viginti.* Eandem propoſitionem in Apologia Caſuiſtarum damnaverunt plerique Galliarum Epiſcopi, *Ut aperte falſam, Eccleſiæ de audienda Miſſa Præcepto, communique Chriſtianorum ſenſui repugnantem, & Chriſtiani cultus ſanctitatem, & veritatem abſurdis cavillationibus infringentem.*

Eandem Clerus Gallicanus anno 1700. hac Cenſura confixit: *Hæc propoſitio abſurda eſt, ſcandaloſa, illuſoria, omniumque Chriſtianorum ſenſui repugnat.*

REGULA VIII.

Qui Miſſæ adeſt abſque interna animi devotione, & attentione, totoque tempore, vel per magnam partem Sacri voluntarie diſtractus eſt, non ſatisfacit Eccleſiæ Præcepto, quamvis cum externa devotione adſiſtat.

Eccleſia enim auditionem Miſſæ præcipit, ut actum Religionis; at ſine attentione interiori non eſt actus Religionis: Itaque præceptum non adimpletur ſine attentione, & devotione interiori. Eccleſia igitur actum etiam interiorem conſequenter præcipit, cum neceſſarius eſt ad actus exterioris bonitatem, quamvis actum ipſum exteriorem directe duntaxat præcipiat. Præterea, Eccleſia præcipiendo auditionem Miſſæ Dominicis, Feſtiſque diebus, determinat præceptum naturale, ſive divinum de ſanctificatione Sabbati. Lex ergo naturalis vim exerit ſuam poſita Eccleſiæ determinatione. Lex porro naturæ obligat ad attentionem interiorem; quam ob rem non impletur Eccleſiæ lex ipſam determinans, ſi deſit interior attentio. Simile quidpiam occurrit in præcepto de Horis Canonicis recitandis, quo naturale, ſeu divinum orandi præceptum determinatur; ideoque Eccleſia eam recitationem præcipens, etiam modum virtutis ex lege naturæ, ſeu divina requiſitum præſcripſit, & expreſſit, eam fieri jubens (*Studioſe pariter & devote*, c. *Dolentes*, Extra, *De Celebratione Miſſarum.*)

Audiendæ Miſſæ præceptum non impletur ſine attentione, & interna devotione.

Similiter quia jure divino præcepta eſt Confeſſio Sacramentalis peccatorum & ſumptio Euchariſtiæ, Eccleſia determinans tempus implendi hæc præcepta, etiam modum virtutis præſcripſit, & expreſſit, jubens Confeſſionem quotannis fieri proprio Sacerdoti *fideliter*, & Euchariſtiam in Paſchate ſuſcipi *reverenter*, (c. *Omnis utriuſque ſexus*, Extra *De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.*) Vult enim Eccleſia filios ſuos immunes eſſe a fulmine maledictionis iſtius Prophetiæ (Jerem. 48.) *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* A fermento Phariſæorum ipſos vult cavere, quibus Chriſtus indignatus ait (Matth. 15.) *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Perſpectam habet Sententiæ illius a *S. Bern.* prolatæ veritatem (in Apologia ad *Guillelmum* Abbatem.) *Quis magis impius, an profitens pietatem, an mentiens ſanctitatem? Nonne is, qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?*

Miſſæ præceptum non impletur ſine attentione, & interna devotione.

Nonne vero ſanctitatem mentitur, adeoque impietatem geminat, qui Miſſæ Sacrificio adſiſtit, ſpeciem devotionis exhibens exterius, ſed interius voluntarie diſtractus, & ſæcularibus negotiis, aut pravis etiam cogitationibus, & affectibus occupatus?

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, 2. par. tit. 9. c. 10. *Non debent* (inquit) *accedere ad Miſſam, ut videant, vel videantur ab amatoribus ſuis. Nam tales non implent præceptum illud Eccleſiæ, ſicut nec illi, qui ſtant ad ſociandum dominos, alias non audituri: ſed debent accedere ad orandum, & tunc a ſe removere debent cogitationes temporalium ad Deo vacandum.* Unde *S. Cypr.* ait Libro *De Oratione Dominica*, & refertur Canone *Quando*, diſt. 1. *De Conſecratione*, ex quo citat S. Antoninus: *Quando ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat, ne quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo*: Surſum Corda, *ut dum reſpondet plebs*: Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud ſe quam Dominica cogitare debere. Claudatur contra Adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur; obrepit enim frequenter, & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce; quando intentione ſincera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus, & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris?* Quorſum auditio Miſſæ Dominicis, & Feſtis Diebus Chriſtiani præcepta eſt, niſi ut ſe veros adoratores exhibeant? Eum autem, qui Deum adorat, *in ſpiritu, & veritate adorare oportet.* Quod certe non facit, qui abſque interna devotione, & animi attentione Sacro adeſt, totoque Sacri tempore, vel per magnam Sacri partem ſæcularibus cogitationibus, vel etiam pravis, aut confabulationibus volens diſtrahitur. Ut enim ait *S. Cæſarius Arelatenſis* Serm. 82. qui in Appendice *S. Auguſtini* ducenteſimus octogeſimus tertius eſt; *Omnis homo, quod tempore orationis attentius cogitat, hoc ſibi pro Deo conſtituit, & hoc quaſi Deum habere, & quaſi Dominum videbitur adorare. Quæ res nimium mihi aliquoties intolerabilem dolorem incutit, & tremorem, cum in ipſa orationis intentione mens ad diverſas occupationes ſæculi rapitur, & cum videtur aliud agere, longe alibi cognoſcitur cogitatione diſcedere; quaſi ſit aliquid, quod plus cogitare debeamus. Quando cum Deo loquimur, nil nobis aliud eſt cogitandum, niſi ut toto corde, & toto animo, & tota mente peccatorum indulgentiam, & Dei gratiam debeamus expetere. Verbi gratia, quicunque forte in oratione ſubripitur, ut forum cogitet; ſi forum cogitat, forum adorat. Subripitur illi, ut domum quam fabricat, aut reparat, ante oculos proponat: quod ante oculos habuerit, hoc adorat. Forte vineas, aut hortum, aut aliud aliquid cogitat; quod ante oculos cordis propoſuerit, hoc in illa oratione adorat. Taceo de malis, & forte etiam turpibus cogitationibus, vel immundis. Conſiderate quæſo, & videte quam ſit dura iſta captivitas, ut lingua quaſi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad terram, & parietes, vel lapides dirigatur. Et ſi iſta, quæ licite alio tempore, vel cogitare poſſumus, vel videre, nimis durum eſt, ut nobis in oratione ſubrepant, putas illa, quæ etiam*

etiam alio tempore illicite cogitantur, quantum mali erit, ſi in ea oratione poſiti cogitemus, ideſt, ſi cupiditatem, ſi odium, ſi iracundiam, aut luxuriam, vel adulteria, & cetera his ſimilia, inclinati ad orationem ante cordis noſtri oculos proponamus? ... Et ideo ſi fieri non poteſt, ut iſtas captivitates animæ ad integrum poſſitis evadere, vel quantum poſſumus, auxiliante Domino, laboremus, ut eas, vel tardius incurrere videamur: ne forte per negligentiam dum orantes aliud cogitamus, inde apud Deum inveniamus offenſam, unde potueramus acquirere gratiam.

Et paullo ante: *Orantes, quantum poſſumus, adjuvante Domino laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio ſubrepere poſſit, ne forte aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore, ne forte dum lingua Deum rogat, cogitatio in rebus variis occupata, ab oratione ſenſus diſcedat; & inde acquirat peccatum, unde potuit habere remedium. Si enim apud aliquam potentem perſonam velles aliquam cauſſam neceſſariam allegare, & ſubito averſus ab illo, media interlocutione diſrupta, aliquibus te velles occupare ſcurrilitatibus, qualem te putas injuriam illi perſonæ, cum qua loquebaris, inferre? Quomodo contra te illius iracundiam commoveres? Si ergo cum homine loquentes, tota intentione animi laboramus, ne aliud cogitantes illi, cum quo loquimur, injuriam facere videamur: cum Deo in oratione loquentes, & ante tantam Majeſtatem peccatorum noſtrorum miſerias allegantes, non nos pudet, & non erubeſcimus, captivis ſenſibus huc, illucque diſcurrere, & infelicem mentem multis occupationibus a conſpectu Divinæ Majeſtatis abſtrahere? Et ideo unuſquiſque antequam in oratione procumbat, omnes cogitationes ſuperfluas ab animi ſui intentione, Deo auxiliante, repellat; ut anima noſtra Sancti Spiritus fervore ſuccenſa, omne vitium compunctionis, vel orationis igne conſumat, & vagas, ac volaticas cogitationes longe diſpergat: ut ſola virtutes tantum, & ſanctæ meditationes in cordibus noſtris locum ſemper inveniant.*

Jo. 22. ad Philip. 5. Regem Chriſtianum Litteræ de Miſſa, & ceteris divinis Officiis devote audiendis. Pſal. 92. 3.

Attentionis interioris pariter, & externæ neceſſitatem in Miſſa audienda, ceteriſque Divinis Officiis, *Philippo V.* Regi Chriſtianiſſimo paternis Litteris inculcat *Joann.* 22. Pontifex Maximus, quas apud *Odoricum Raynaldum* in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1317. legere eſt. *Noſti*, (inquit) *quod juxta verbum Nobilis Citharœdi, Decet domum Domini ſanctitudo; noſti, quod Eccleſiam vocari Domum orationis ipſa Veritas cenſuit, & temporalia negotia, quæ alibi geri licite poterant, inibi fieri non permittens, illos abinde ejecit. Sed an tu Eccleſiam ipſam domum negationis, aut collocutionis interdum efficias, paulliſper attende: habet enim multorum aſſertio nobis indubitanter implacida, quod tu, dum Divina, & ſpecialiter Miſſarum ſollemnia in tui præſentia celebrantur, nunc iſti, nunc illi colloqueris, & negotiis te frequenter impendens, quæ per Dei Miniſtrum pro tua, Populique ſalute, ac expiatione peccatorum aguntur, ut condecet, non advertis. Porro, dilectiſſime Fili, talia beneplacito divino fore contraria, tuæque indecentia Majeſtati, nequaquam ambigimus. Unde hujuſmodi pernicioſum abuſum tuis præſertim exulare temporibus affectamus, Celſitudinem Regiam exhortantes in Domino Jeſu Chriſto, quatenus Divinum Officium reverenter audias, & devote, & quandiu celebrationi illius intereris, devotioni te totum præbens, humiliato ſpiritu, & corde contrito Sacratiſſimam Paſſionem, & alia immenſa recogites tui beneficia Redemptoris. Interim autem dum in oratione colloqueris Domino Majeſtatis, cujuſvis alterius colloquium citra neceſſitatis exigentiam non admittas, ne peregrina forſan immiſcendo colloquia, ſibi qui & quodammodo tibi oranti colloquitur, cenſearis injuriam facere, Ipſeque tibi intendere dedignetur, cui tu deprecans non intendis.*

Hanc denique Regulam confirmat Concilii Trid. Catechiſmus, qui Parochum diligenter docere jubet, quibus in operibus, atque actionibus Chriſtiani homines diebus Feſtis exercere ſe debeant. *Illæ vero ejuſmodi ſunt*, inquit, *ut ad Dei Templum accedamus, eoque loco ſincera, piaque animi attentione Sacroſancto Miſſæ Sacrificio interſimus.* Ad eam vero attentionem nos invitat Chriſti Pontificis Æterni præſentia, & multorum millium Angelorum frequentia. *Quis enim Fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo Jeſu Chriſti Myſterio Angelorum choros adeſſe? Summa, & ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unumque ex inviſibilibus, atque viſibilibus fieri?* (inquit *S. Greg.* Lib. 4. *Dialogorum*, cap. 58. Cujus verba referuntur can. *Quid ſit Sanguis*, diſt. 2. *De Conſecratione*.)

Ex his perſpicuum eſt quam merito damnata ſit hæc Propoſitio: *Præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro ſatisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, immo & prava cogitatione defixo.* Sic autem de illa judicavit Clerus Gallicanus an. 1700. *Hæc Propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, erronea, impietati favet, & præcepto Eccleſiæ illudit.*

REGULA IX.

Graviter peccant, qui cum peccati lethalis affectu Miſſæ Sacrificio Dominicis, & Feſtis Diebus interſunt.

Quæ diſpoſitio ad Miſſam diebus Dominicis, & Feſtis recte audiendam neceſſaria.

Magis enim rei ſunt Chriſtiani cum peccati lethalis affectu Miſſam audientes, quam Judæi vetera Sacrificia cum affectu peccati offerentes, & frequentantes, tum quia longe ſacratius, & auguſtius eſt Sacrificium Chriſtianorum veteribus illis Sacrificiis: illa enim erant figuræ duntaxat, & umbræ futuri; iſtud autem veritas, & corpus Chriſti: tum quia longe majoribus Beneficiis Deo ſunt devicti Chriſtiani, quam Judæi. Judæos porro graviter peccaſſe conſtat, cum Sollemnitates antiquas celebrabant, & Sacrificia offerebant, vel frequentabant cum peccati lethali affectu: longe gravius igitur peccant Chriſtiani, qui cum affectu lethalis peccati Sacroſancto Miſſæ Sacrificio diebus Dominicis, & Feſtis interſunt. Ad ipſoſque pariter dirigitur illa Dei comminatio, & præceptio (*Iſai.* 1.) quatenus morum informationem ſpectat; *Ne offeratis ultra Sacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & Feſtivitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri: Calendas veſtras, & Feſtivitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens. Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis; & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere.* Quid eſt autem, auferre malum cogitationum ſuarum, niſi peccandi voluntatem, & affectum deponere? Hinc *S. Hieronymus* hunc locum explicans præclare ait: *Omnis conventus, qui non fert hoſtias ſpiritales, nec audit illud, quod in quinquageſimo Pſalmo canitur*, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, *Abominabilis eſt Deo. Et idcirco jungit, & dicit*, Calendas veſtras, & Sollemnitates veſtras; *Ut non ſuas appellet Feſtivitates, ſed eorum, qui male his abutuntur .... Utendum hoc teſtimonio, & contra eos, qui cum quotidianis operibus ſanguine manus plenas habeant, in oratione dies, noctesque conjungunt.* Pſal. 50.

Chriſtianis qui ſacrificio Miſſæ interſunt illud ſuo modo deferre debent cum Sacerdote.

Præterea Chriſtiani, qui Eccleſia præcipiente Dominicis, & Feſtis diebus in Eccleſiam ſe conferunt, Miſſam audituri, duplicem ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium relationem habent, offerentium ſcilicet, atque victimarum: Sacrificium offerunt, non quidem, ut publici Miniſtri, ſed ut publico Miniſtro, nempe Sacerdoti quodammodo cooperantes, ſuamque intentionem ejus intentioni conjungentes, ut unum ſit Sacerdotis, Populique adſtantis ſacrificium: unde Sacerdos poſt Oblationem ad populum converſus ait: *Orate, fratres, ut meum pariter, ac veſtrum in conſpectu Domini fiat acceptum Sacrificium.* Et in Canone ſic præcatur: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. N. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* In Sacrificium offeruntur, quia totum Eccleſiæ corpus cum Chriſto, & a Chriſto Sacerdote pariter, & victima Deo offertur. Utraque porro Chriſtianorum Miſſam audientium ad Sacrificium ſacroſanctum relatio poſtulat, ut ſin minus a peccato lethali omnino puri ſint, (ut eſſe debet Sacerdos ſacrum faciens,) ſaltem ab affectu peccati ſint liberi, & pœnitentium affectum induant, veniam peccatorum animo ſupplici poſtulantes, & ad Deum ex toto corde converſi. Hypocrita enim eſt, qui Sacrificium externum offert, & ſe ipſum intus Deo non offert: ſiquidem *Sacrificium viſibile inviſibilis Sacrificii Sacramentum, ideſt, ſacrum ſignum eſt*, (inquit *S. Auguſt.* Lib. 10. *De Civit. Dei*, cap. 5.) Quamobrem Chriſtianus quiſque Miſſæ ſacrificio ex præcepto Eccleſiæ præſens, illud pro parte ſua debet offerre cum Sacerdote: idque ut ſincere, ac rite præſtet, debet Deo ſe ipſum offerre. Hæc autem Oblatio, qua ſe ipſum offert, Deo grata eſſe non poteſt, immo fieri non poteſt, quin ingrata ſit, ac Divinæ Majeſtatis iram provocet, niſi peccati mortalis affectum, & voluntatem depoſuerit peccator, Pœnitentiam profiteatur, Deumque diligere incipiat. Peccati namque lethalis affectus ſola caritate, ſaltem inchoata, excluditur, & conſumitur. Sola caritate corda noſtra ad Deum eriguntur: quod niſi fiat, mentitur coram Deo, & in facie Eccleſiæ. Sacerdote ſiquidem inclamante, & admonente, ut ſurſum cor habeamus; *Surſum corda*: reſpondemus: *Habemus ad Dominum*: & nihilominus peccati pondere, & affectu depreſſi deorſum in terra jacemus. Unde merito de iis diceret Dominus, qui cum lethalis peccati affectu Miſſæ interſunt: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Matth. 15. 8. Præclaro S. *Aug.* principio nititur hoc ratiocinium, Lib. 10. *De Civ. Dei*, cap. 3. *Cum*, inquit, *ad illum ſurſum eſt, cujus eſt Altare cor noſtrum, ejus Unigenitum cum Sacerdote placamus .... Ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cum in ejus conſpectu pio, ſanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, noſque ipſos vovemus, & reddimus: ei beneficiorum ejus Sollemnitatibus, Feſtis, & diebus ſtatutis dicamus, ſacramuſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepta oblivio: ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis, & laudis in ara cordis igne fervida caritatis. Ad hunc videndum, ſicut videri poteſt, eique cohærendum, ab omni peccatorum, & cupiditatum malarum labe mundamur, & ejus nomine conſecramur.*

Id confirmat *S. Gregorius* Lib. 4. *Dialogorum*, cap. 59. Cum enim de ſacroſancti Sacrificii Corporis, & Sanguinis Chriſti quotidiana oblatione, & virtute in præcedenti capite

pite dixiſſet; *Quod pro abſolutione noſtra Paſſionem unigeniti Filii ſemper imitatur*; in eoque ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unumque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri ſubdit: *Sed neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui Paſſionis Dominicæ Myſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hoſtia erit Deo, cum nos ipſos hoſtiam fecerimus.*

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opuſculo 11. quod inſcribitur, *Dominus vobiſcum*, cap. 8. *In ipſa*, inquit, *celebratione Miſſarum, cum dicitur*; Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum; *paullo poſt ſubditur*: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, *In quibus verbis patenter oſtenditur, quod a cunctis Fidelibus, non ſolum viris, ſed & mulieribus, Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno offerri ſpecialiter Sacerdote videatur: quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo Fidelium intenta mentium devotione commendat. Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur*: Hanc igitur Oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, ut placatus accipias. *Quibus verbis, luce clarius conſtat, quia Sacrificium, quod a Sacerdote Sacris Altaribus ſuperponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Debent itaque quotquot Miſſæ Sacrificio Dominicis, & Feſtis diebus ex Eccleſiæ præcepto adſunt Chriſtiani, illud una cum Sacerdote offerre, ſeu intenta mentium devotione commendare: quomodo vero id agent, aut quomodo eorum oblatio, & oratio non fiet illis in peccatum, ſi in affectu, & voluntate peccati mortalis perſeverent? Illud ut deponant ſincera mentis ad Deum converſione, & contritione, Confeſſio generalis omnium nomine ab iis, qui Sacerdoti celebranti miniſtrant, præmittitur: *Confiteor Deo &c.* ut exomologeſi peccatorum facta, Sacrificio propitiatorii, quod pro ipſis offertur, participes eſſe poſſint. *Sacrificium enim iſtud propitiatorium eſt, per ipſumque fit, ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes, ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Hujus itaque Sacrificii fructu privantur, qui huic cum metu, & reverentia, contriti, & pœnitentes non interſunt.

Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 2.

Chriſtiani quotquot adſunt Miſſæ Sacrificio Deo in Sacrificium afferuntur.

Non ſolum offerre debent ſuo modo Sacrificium cum Sacerdote, quotquot Miſſam audiunt Chriſtiani Dominicis, Feſtiſque diebus, ſed & ipſi offeruntur Deo in Sacrificium, ut docet *S. Aug.* Lib. 10. *De Civitate Dei* jam indicato c. 6. *Cum*, inquit, *vera Sacrificia opera ſint miſericordiæ ſive in nos ipſos, ſive in proximos, quæ referuntur ad Deum, opera vero miſericordiæ non ob aliud fiant, niſi ut a miſeria liberemur, ac per hoc ut beati ſimus, quod non fit, niſi bono illo de quo dictum eſt*, Mihi adhærere Deo bonum eſt: *profecto efficitur, ut tota ipſa redempta Civitas, hoc eſt, congregatio, ſocietaſque Sanctorum, univerſale Sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam ſe ipſum obtulit in Paſſione pro nobis, ut tanti Capitis corpus eſſemus, ſecundum formam ſervi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus eſt; quia ſecundum hanc Mediator eſt; in hac Sacerdos, in hac Sacrificium eſt.* Et paullo poſt ſubdit: *Hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum*; Multi unum corpus in Chriſto, *quod etiam Sacramento Altaris Fidelibus noto frequentat Eccleſia, ubi ei demonſtratur, quod in ea re, quam offert, ipſa offeratur.* Cum itaque victimas puras, & impollutas ſibi offerri velit Deus, & *Victimæ impiorum* ſint *abominabiles Domino*, (ut dicitur *Prov.* 15. 8.) & multo magis ipſimet impii: neceſſe eſt, Chriſtianos Miſſæ Sacrificio intereſſe excluſo peccati affectu per affectum cordis pœnitentis, & contriti, ut victimæ ſint Deo gratæ, cui *Sacrificium* eſt, *ſpiritus contribulatus*, quique *Cor contritum, & humiliatum non deſpicit.*

Ps. 72.

Rom. 12. 6.

Pſalm. 50.

Chriſtianos qui Miſſæ Sacrificio interſunt, in eo ſtatu eſſe optat Eccleſia, in quo ſpiritualiter communicare poſſint.

Optat denique Eccleſia, ut qui Miſſæ Sacrificio interſunt, in eo ſint ſtatu, in quo *Spirituali affectu communicare* poſſint; & *Optaret, ut & ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*; (inquit Sacra Synodus Tridentina Seſſ. 22. cap. 6.) Spiritualis porro Communio fieri non poteſt in affectu peccati; ſpiritualiter enim manducare Corpus Chriſti, ejuſque Sanguinem bibere, eſt *in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio non manducat* ſpiritualiter *ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem* (inquit *S. Auguſtinus* Tract. 26. in Joannem) Atque ad hujus rei ſignificationem aqua vino miſcetur in Calice, Aqua populus, vino Chriſti Sanguis ſignificatur. Hoc itaque ritu ſignificatur Populum Chriſtianum fide per dilectionem operante Chriſto conjunctum eſſe debere. Sed proh dolor! quam longe a felici illa diſpoſitione remotus eſt, qui in affectu peccati perſeverat, nec pœnitentem, & contritum animum offert Deo, cum Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſt! *Quando* (inquit *S. Cyprianus* Epiſt. 63.) *in Calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur: quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in Calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Unde Eccleſiam, idest, plebem in Eccleſia conſtitutam fideliter, & firmiter in eo, quod credidit, perſeverantem, nulla res ſeparare poterit a Chriſto, quominus hæreat ſemper, & maneat individua dilectio.* Qui ergo in ſtatu peccati eſt Dominicis, & Feſtis diebus, cum ad Templum accedit Miſſam auditurus, affectum peccati deponat, pœnitentis affectum induat, contrito, & humiliato animo Sacroſancto Sacrificio interſit, Publicanum imitetur, qui oculos ad cœlum levare non auſus, percutiebat pectus ſuum, dicens; *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Hinc *S. Antoninus* P. 2. Tit. 9. cap. 10. ait: *In mortali exiſtens non debet multo intuitu reſpicere Corpus Domini, ſed indignum ſe reputare, vel in tranſitu videre.* Nam, ut ait *S. Jo. Chryſoſtomus* Homilia 3. in Epiſtolam ad Epheſios; *Quomodo cum Dominus adeſt in Menſam, non oportet adeſſe famulos, qui offenderunt, ſed procul amandantur: ita hic quoque non offertur Sacrificium ... Et, Quomodo nullum oportet adeſſe ex his, qui Myſteriis non ſunt initiati; ita nec ex iis, qui ſunt initiati, & ſordidi.* Hinc Paterfamilias eis, qui ſordidis veſtibus nuptiale convivium ingreſſus fuerat, non ait: *Cur accubuiſti?* Sed; *Cur intraſti non habens veſtem nuptialem?* ut idem Pater obſervat.

Affectus igitur peccati neceſſario deponendus eſt, ut Miſſa, ſicut oportet, ideſt digne fructuoſeque audiatur.

Lucæ 18. 13.

REGULA X.

Conveniens Dominicæ Diei, Feſtorumque ſanctificatio poſtulat, ut Fideles verbum Dei audiant, Veſpertinis Officiis interſint, in piorum librorum lectione, aliiſque pietatis operibus ſacros illos dies tranſigant.

Hanc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechiſmus P. 3. in explicatione tertii Præcepti, §. 25. *Neque vero*, inquit, *Parochus prætermittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus, atque actionibus Chriſtiani homines diebus Feſtis exercere ſe debeant. Illa vero ejuſmodi ſunt, ut ad Templum accedamus, eoque loco ſincera, piaque animi attentione Sacroſancto Miſſæ Sacrificio interſimus. Divinæ Eccleſiæ Sacramenta, quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, ad animæ vulnerum curationem crebro adhibeamus... Attente præterea, diligenterque Sacra Concio a Fidelibus audienda eſt: nihil enim minus ferendum eſt, neque tam profecto indignum, quam Chriſti verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item Fidelium, ſtudiumque in precibus, diviniſque laudibus frequens eſſe debet; præcipuaque eorundem cura, ut quæ ad Chryſtianæ vitæ inſtitutionem pertinent, ea diligenter addiſcant, ſeduloque ſe exerceant in eis officiis, quæ pietatem continent, pauperibus, & egenis eleemoſynam tribuendo, ægros homines viſitando, mœrentes, quique dolore afflicti jacent, pie conſolando. Nam* (ut ait *S. Jacobus* Epiſtolæ Catholicæ c. 1.) *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.*

Dominicæ Feſtorumque dierum ſanctificatio.

Eandem Regulam confirmat Concilium Mediolanenſe 3. Tit. de Feſtorum Dierum cultu: *Ut vero*, inquit, *ii dies omni pietate, & religioſius colantur, hæc crebro Populum Parochi, & Concionatores admoneant, atque hortentur, ut illorum dierum tempus, quod Deo, ejuſque cultui debetur, in iis actionibus totum conſumant, in quibus ſancte conſumendum eſt. Ut Concionem mane, & ſacram lectionem a prandio, ubi explicari ſolet, audiant. Ut divinis Veſperarum præſertim Officiis præſentes pie, religioſeque adſint. Ut in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis verſentur. Ut in operibus etiam, officiiſque ſe exerceant, ægros homines viſitando, mœrentes pie conſolando, & alia ejuſmodi præſtando. Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia, atque occaſio exiſtit, feriati, in opera incumbant, ob quæ ſunt illi ſacri inſtituti dies.*

Sed & multis antea ſæculis, anno ſcilicet octingenteſimo decimo tertio, Concilium Turonenſe, Canone 40. ait: *Die Dominica oportet omnes Chriſtianos in laude Dei, & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.*

Nicolaus I. In Reſponſis ad conſulta Bulgarorum, c. 10. & 11. *Dominico die a labore terreno ceſſandum, atque omni modo orationibus inſiſtendum* eſſe docet *ut quod negligenter per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Diebus Feſtis ab omni opere mundano propterea ceſſandum, *Ut liberius ad Eccleſiam ire, Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, Oblationes offerre, Memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, Eloquiis divinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus. Quæ omnia ſi quis negligens, orationi tantum vacare voluerit, & ad ceteras Mundi vanitates licitos labores converterit, melius ei fuerat ipſa die laborare manibus ſuis, ut haberet unde tribueret neceſſitatem patientibus.*

Idem confirmat Canon *Jejunia*, diſt. 3. *De Conſecratione* quæ Sententia eſt Apollonii Abbatis apud Palladium: *Die*, inquit, *Dominica, nihil aliud agendum eſt, niſi Deo vacandum. Nulla operatio in illa ſancta die agatur: niſi tantum hymnis, & pſalmis, & canticis ſpiritualibus dies illa tranſigatur.*

Dominicæ Feſtorumque dierum ſanctificatio.

Concilium Aquenſe anno 1585. Tit. *De Feſtorum Dierum cultu*, ſtatuit ut *Doceantur populi crebro ab his, ad quos pertinet, ut Feſtos dies, qui Dei cultui dicati ſunt, in divinis Officiis, Concionibus audiendis, necnon in orationibus, maximiſque, ac continuis Dei erga nos beneficiis recolendis, ſancte, ac pie tranſigant, præſertim ut præter Miſſam, quæ ſine graviſſimi peccati culpa prætermitti non poteſt, præter Veſperas item, quibus Fidelem quemcunque, niſi impeditum, intereſſe maxime convenit, in Doctrina Chriſtianæ rudimentis omnes tam mares, quam fœminæ, tam viri, quam pueri, vel perdiſcendis, ſi illa ignorent, vel aliis perdocendis verſentur.*

Concilium Avenionenſe anno 1594. cap. 43. *Doceant Parochi*, inquit, *ceterique vel Dei Præcones, diebus Feſtis Dei cultui dedicatis, divinis Officiis, Concionibuſque audiendis, ceteriſque id genus piis operibus vacandum eſſe, nec Miſſam a quocunque haud legitime impedito ſine gravi flagitio prætermitti poſſe.*

Concilium Remenſe anno 1583. Tit. de Diebus Feſtis, *Diebus*, inquit, *Dominicis, & Feſtis in ſuas Parœcias Populus conveniat, & Miſſæ, Concioni, ac Veſperis interſit.*

Concilium Burdigalenſe eodem anno, Tit. de Feſtis: *Omnibus Provinciæ noſtræ Parochis indicimus; Populum ſuum frequenter, & ſerio commonefaciant, ut diebus Feſtis non ſolum a quibuslibet prohibitis operibus ſeſe contineant, verum etiam ſacris omnibus Eccleſiæ Myſteriis, & divini verbi Prædicationi, quantum fieri poſſit, ex animo, & religioſe interſint, nec pietatis opera itidem prætermittant in pauperibus reficiendis, afflictis conſolandis, aliiſque piis rebus gerendis, in quibus Chriſtiana Profeſſio, & Caritas maxime elucescit.*

Concilium Turonenſe eodem anno c. 11. *Parochi, quibus animarum cura eſt commiſſa, gregem ſuum ad divina Officia diebus ſingulis, (ſi fieri poteſt) audienda adhortentur, præſertim Dominicis, & aliis Feſtis. Quibus diebus cum Dei laudes recitare omnes debeant, verbum Dei audire, & de innumeris beneficiis, quæ ab immenſa ſua bonitate indeſinenter recipimus, gratias agere, ac ſeſe operibus caritatis aſſuefacere, ſciant aliis non licere vacare negotiis.*

Concilium Bituricenſe anno 1584. Tit. 6. Can. 4. *Dominico die ſit quies animi, & corporis ſancta, & ad Deum levata mens, & a terrenis abſtracta: ſatis ſint Chriſtiano opera caritatis, orationes piæ, Pſalmi, Hymni, & Cantica.*

Concilium Aquilejenſe anno 1596. Can. 14. *Tempus diei Feſti in audiendis Concionibus, Miſſæ ſacro, & divinis Officiis ponendum eſt, non in commeſſationibus: multo minus peracto prandio ad ſaltationes, & luſus declinandum, cum ſit in Eccleſias ad Horas Veſpertinas audiendas divertendum, & nomen Dei concorditer, & devote, vel ſilentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt Epiſcopi Curatorum diligentia populis inculcari.*

Concilium Narbonenſe anno 1609. cap. 9. *Doceant Parochi, ceterique Dei Præcones, quo ſtudio diebus Feſtis Dei cultui dedicatis, Divinis Officiis, Concionibus audiendis, Doctrinæ Chriſtianæ, aliiſque id genus piis operibus vacandum ſit, in quibus quiſque integram Miſſam ſub peccati mortalis pœna, niſi juſta præpeditus cauſſa, audire debet.*

Quamvis ergo Concioni, & Veſpertinis Officiis non adeſſe Dominicis, & Feſtis diebus lethale peccatum non ſit, ſicut lethale peccatum eſt Miſſam integram ſacris illis diebus non audire: non tamen nullum peccatum eſt deeſſe verbi Dei auditioni, cum ſacra Concio habetur, & Veſpertinis Officiis, niſi juſta cauſſa quis præpeditus ſit: quia ſolidus dies Feſtus ſanctificandus eſt, nec matutinis duntaxat, ſed pomeridianis horis Deo vacandum. Et quandoque lethale peccatum eſt a Veſperarum officio abeſſe, ſi quis verbi gratia comeſſationi, ludo, & choreis cum ſcandalo vacet, quo tempore celebratur.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Antoninus* 2. P. Tit. 9. c. 7. § 4. *Debet ergo*, inquit, *die Feſto inſiſti operibus ſpiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & eleemoſynis, & hujuſmodi... Et inter cetera debent homines vacare compunctioni, & confeſſioni peccatorum ſuorum, recogitantes, quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati. Dicitur enim Lev.* 16. Sabbatum requietionis eſt, affligetis animas veſtras, *ſcilicet per contritionem*, ſecundum Origenem. *Item auditioni Miſſæ, & divinorum Officiorum, & Prædicationum. Item admonitioni, & correctioni proximorum, & præcipue familiæ ſuæ; exemplum in Job 1. de quo ſcribitur.* Cumque in orbem tranſiſſent dies, mittebat ad eos Job, & ſanctificabat eos; *ideſt, in capite hebdomadæ, quod eſt Dominica. Dicitur autem ſanctificare filios, quia ſcilicet illa die admonebat eos, & corrigebat de defectibus, ſi quos intra hebdomadam feciſſent, ut exponit S. Thomas ſuper Job: vel etiam quia offerebat orationes, & Sacrificia pro eis. Item inſiſti debet magis eleemoſynis. In cujus figuram legitur in Levitico, quod duo agni offerebantur die Sabbati, aliis diebus unus tantum, ſcilicet in holocauſtum. Tobias etiam præparato prandio in die feſto miſit filium ad vocandum pauperes ad comedendum cum eis, prius tamen ſepelivit mortuum in platea jacentem, ut habetur* Tob. 2. *Sed quis eſt hic, qui ita celebret feſta vacando Divinis, & laudabimus eum, cum invenerimus? Nonne tota occupatio hominum in feſtis eſt circa corpus? Mulieres vacant, & non parum temporis expendunt in ſe ornando ad capiendas animas; famuli & famulæ ad præparandum cibos accuratius ſolito; mercatores ad faciendum ſuos computos, & ratiocinia, & ſcribendum libros, & litteras; inferioris conditionis homines ad audiendum de Palatinis, vel ſpectacula vana, nulla cura filiorum, & familiæ, ſed omnes liberi dimittuntur ad faciendum mala: & quod cum multo labore per hebdomadam lucrati ſunt, in feſtis, in tabernis & ludis, non in eleemoſynis expendunt. O abuſio perverſa hominum, & jactura temporis irrecuperabilis, & negotium gratiſſimum Dæmoni! Apte de his dixit Jeremias Thren.* 1. videront eam hoſtes, *ideſt, Dæmones inimici peſſimi Animæ, ſeu Eccleſiæ*, & deriſerunt Sabbata ejus, *ideſt, Feſta, quia ſcilicet non Deo, ſed ſibi vacant, ventri, & Dæmoni.*

Quærit ibidem *S. Antoninus*, Utrum qui non vacat divinis Feſto die, niſi audiendo Miſſam, peccet mortaliter. Reſpondet ſecundum *S. Th.* Prima Secundæ, qu. 99. art. 9 in Reſp. ad 2. Objectionem: "Intentionem Legiſlatoris circa aliquod
„ præceptum eſſe de duobus. Primum eſt, ad quod indu-
„ cere intendit per præcepta legis, & hoc eſt virtus. Aliud
„ eſt, de quo intendit præceptum ferre, & hoc eſt, quod
„ inducit, vel diſponit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis,
„ Non enim idem eſt finis præcepti, & id de quo præce-
„ ptum datur. Itaque quamvis intendat legiſlator finem præ-
„ cepti, ut quid perfectius, non tamen intendit id ponere
„ ſub præcepto; quia multitudo, cui datur lex, non eſt ſu-
„ bito capax perfectionis, ſed paullatim: ſed intendit po-
„ nere ſub præcepto id, quod diſponit ad illud, quod fa-
„ cilius eſt ad obſervandum. „ *Et ſic abſtinere ab operibus ſervilibus*, & Miſſam audire, *eſt in præcepto non vacare Deo pro majori parte diei tamen peccatum eſt.*

ARTICULUS VII.

Regula Moralis Chriſtianæ circa Jejunia Eccleſiaſtica.

REGULA PRIMA.

Violatio Jejunii Eccleſiaſtici lethale ex genere ſuo peccatum eſt.

Chriſtianæ jejuniorum obſervatio.

CHriſtiani enim Eccleſiæ Matris legibus, & præceptis obedire tenentur. Abſtinentia autem, & jejunium ab Eccleſia indictum, cum ſint materia gravis, eorum violatio, quamvis ex conſuetudine, aut contemptu non fiat, veniale peccatum eſſe non poteſt in his, qui ſcientes volentes abſque legitima cauſſa, & juſta neceſſitate, carnes, alioſve cibos vetitos comedunt, aut jejunium ſolvunt. Unde Conc. Gangr. can. 19. ita decernit; *Si quis abſque corporali neceſſitate, tradita Jejunia, quæ communiter ſervantur ab Eccleſia, diſſolvat; Anathema ſit.*

Eandem Regulam confirmant SS Patres. *S. Baſilius*, Oratione 2. De jejunio: *Vide*, inquit, *ne ob brevem edendi voluptatem, ſimul & privaris Angeli recenſione, & te ipſum apud eum, qui recenſet exercitium, obnoxium facias deſertoris crimini.*

S. Greg. Nazianz. ep. 74. ad Celeuſium. *Inique agis, o Judex, qui non jejunas. Et quomodo leges humanas ſervabis, qui divinas contemnis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut exiſtimeris.*

S. Cyrillus Alexandrinus, Hom. 1. Paſchali: *Libenter eos rogem, utrum odioſius Jejunium ne, an æterna ſupplicia, exiſtiment? Cum ergo nobis utrumque neceſſitas propinat, cur id, quod præſtantius eſt, eligentes, non ipſi de nobis quam rectiſſime ſtatuamus? Neceſſe eſt enim, aut per labores liberari a malis, aut ſi illos recuſes flammis inexinctis mulctari.*

S. Hieron. ep. 54. *Non unam Quadrageſimam ſecundum Traditionem Apoſtolorum jejunamus... Non quod & per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat; ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.*

S. Maximus, ſeu alius Auctor Sermonum *De Quadrageſima S. Ambroſio* adſcriptorum ſer. 5. *Non leve peccatum eſt Fidelibus indictam Quadrageſimam a Domino violare, & jejunia conſecrata ventris voracitate diſſolvere.... Cum Saul abſtinentiam diei ſuis omnibus indixiſſet, & Jonathas ejus filius præcepti neſcius, inter medias hoſtium acies victor incedens, favum mellis intincta ſceptri ſummitate guſtaſſet; tanta indignatio repente commota eſt, ut & differretur victoria, & Divinitas læderetur. Denique, nec bello finis imponitur, nec Regi reſponſum propheticum datur... Quod, ut peccatum Saul ex ipſa Divinitatis offenſione cognovit, ſtatim Jonathæ dixit non eſſe parcendum, ſed peccatum admiſſum effuſione ejus ſanguinis expiandum... Etſi ignorans Jonathas inductum a patre jejunium, quod reſolverit, morti addicitur: qui ſciens indictum a Chriſto reſolvit jejunium, quid meretur.*

Et Ser. 7. *Quamvis abſtineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulciora alimenta non ſumat, non tamen illi pro accepto fertur Quadrageſimæ Jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat.... Nam ſicut reliquo anno jejunare præmium eſt, ita in Quadrageſima non jejunare peccatum eſt; illa enim voluntaria ſunt Jejunia, iſta neceſſaria: illa de arbitrio veniunt, iſta de lege: ad illa invitamur, ad iſta compellimur,*

Idem Serm. 212. *Qui conſtitutum numerum una die manducando præteriit, non ut unius diei violator accuſatur, ſed ut totius Quadrageſimæ tranſgreſſor arguitur.... Hæc autem non tam Sacerdotum præcepta, quam Dei ſunt. Atque ideo, qui hæc ſpernit, non Sacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur Sacerdote.*

S. Auguſtinus Abundantium Presbyterum depoſuit, quia *Die Jejunii Natalis Domini, quo ejuſdem loci Eccleſia ſicut*